

1419

JEAN CHAPONNEAU à Jean Calvin, à Genève.

De Neuchâtel (1^{ers} jours de décembre 1544).Autographe¹. Bibl. des pasteurs de Neuchâtel. Cal. Opp. XI. 782.

Joanni Calvino Genevensis Ecclesiae ministro JOANNES CAPUNCULUS, Neocomensis Ecclesiae minister, gratiam et pacem in Christo.

Ante menses aliquot, vir de Christiana religione optimè mrens, nostris in comiciis perlecta est epistola quam vix à te² meditatam mihi persuasissem, ni ea quæ sub finem appendebatur, ursisset subscriptio. Admodum enim mihi dentata visa est. et plus fellis habere, quàm deceret epistolam a Christi ministro, vel mille conviciis lacessito, emissam. Si quid a Cortesio in te, aut in hominem³ ejus causam, non sine forsàn tui nominis jactura, tuendam suscepisti, admissum fuerat, pro tuæ functionis ratione debueras delirantem⁴ Cortesium (sic enim eum, ni fallor, vocas) blandè ac leniter bonæ menti restituere lapsumque erigere, non absentem sævis dictis proculcare. Haud egregiam laudem referes, si sic deserta (quod aiunt) causa velle vincere

¹ Les nouveaux éditeurs de Calvin ne mentionnent pas l'original, mais seulement deux copies contemporaines. Ils désignent par la lettre α le manuscrit qui est, selon nous, la copie, et, par la lettre β , celui que nous affirmons être l'original autographe. L'écriture de ce deuxième manuscrit est, en effet, identique à celle des deux autres épîtres de *Chaponneau* (N° 1201, t. VIII, p. 259; N° 1417), et il porte les incisions et les vestiges du sceau qui prouvent que c'est réellement l'exemplaire envoyé à *Calvin* par l'auteur.

² Édition de Brunswick : vix *ante*. La lettre visée est celle de Calvin à la Classe de Neuchâtel du 28 mai 1544 (N° 1360, p. 251).

³ L'édition de Brunswick porte, en note : « *Farellum*. » C'est une erreur. Calvin, dans la lettre précitée (n. 2), n'avait nullement pris la défense de Farel, mais celle de *Champereau* (Cf. la n. 5, et la p. 253, fin du troisième §).

⁴ Éd. de Brunswick : *deklarantem*. On lit *delirantem* dans l'original et dans la copie.

perrexeris. Istic erat atque, te arbitro, cum *Campello*⁵ ratio ponebatur, subque tua omnia transigebantur presentia. Protulit imprimis *Campellus* suarum rationum codicellos, quos habeo domi reconditos, fraudis (nescio an deb[ui]eram dicere) plenos : sed tantum apud te cæterosque arbitros, quorum iudicio nolim meis verbis aliquid detractum, imperiosa valuit loquacitate ut vestram vicerit æquitatem.

Hoc satis modestè, ut audio, non tulit *Cortesius*, neque bona conscientia erat laturus, quandoquidem à me destinabatur quò fideliter de legatis ab *Anneto* transigeret⁶. Pro qua re jam dudum vel frequentissimè non sine magno impendio miseram, non literariæ suppellectilis congerendæ gratia (gratia enim Dei, codicum inopia non laboramus), sed exercendæ pietatis studio : quanquam aliam de me, quantum ex literis tuis subodoravi, videris induisse opinionem. Nam *posteaquam Cortesium satis reum egisti, tuæ eloquentiæ flumen in me retorquens, latenter capti testamenti, nî fallor, incusas monesque ut ad legata fideliter dispensanda alvigilem*. Quæ etiamnum eo animo accepi quo quæ hîc à me ad te scribuntur excipi cupio.

*Inter autem cætera quibus animum tuum exulceravit Cortesius, atque ad scribendum impulit, illud unum esse putarunt fratres, quòd jactarit se a Campello sex cubis ac aliis fortuiti ludi armamentis exceptum*⁷. Hoc *Genevam* mox egressurus, ne hominem perditum (sic enim teste conscientia loquebatur) alea perderet, tibi misericorditer indicavit, sperans ab effrenata ludendi libidine fraterno tuo hortatu revocandum. Cui rei investigandæ tuam testaris non defuisse operam, nihilque compertum quale a *Cortasio* imponebatur. Hoc sanè tuum testimonium, illa quam jamdudum de te concepimus opinio irritare non patitur.

*Ego verò illa quam tibi irrogatam putas contumelia*⁸, si contumelia dicenda est, *te percitum nequaquam putavi*. *Alio quippe*

⁵ Ce personnage, appelé *Campinellus*, p. 132, signalait lui-même : *Edmundus Champerellus*. Son différend avec *Cortesius*, gendre de Chaponneau, est raconté par Calvin dans sa lettre du 28 mai 1544.

⁶⁻⁷ Voyez la note 6 de la p. 252, et le § 3 de la p. 253.

⁸ Dans sa lettre du 28 mai, Calvin ne se plaignait que de l'affront infligé à l'église de Genève, c'est-à-dire à ses pasteurs (p. 252, lig. 1-4 ; p. 253, lig. 6-8, en remontant).

astro agebaris, sed huic libuit scribendi prætexere excusationem, ne propriæ videreris vindex injuriæ: quam utique a Cortesio tibi irrogatam putasti geminis paradoxis, quæ quibusdam conclusionibus (quas fratribus intempestivè satis obtruserat, nihil de te cogitans) *inseruit*⁹. *De quibus si tecum literis amicè, ut sum pollicitus, confli.xero, non spero me tibi fore molestum.* Non enim, ut conjecto, tantum de tua tibi persuasisti eruditione, ut me ex ea quasi ex divinis oraculis pendere putes. Tametsi intelligam plerosque ita tibi addictos, ut vel à cujusvis eruditissimi potiùs sententia se ferant abduci, quàm ab unius *Calvini* deflectant censura. Horum qui volet laudet affectum: ego usquequaque non sum probaturus. *Nec hoc à me dictum putes quò nomini tuo ac gloriæ detraham, aut homini invideam quem Deus egregiis dotibus ampliter cumulavit. Ad hoc me solus veritatis amor impellit, pro qua dum vivam totus stabo in acie propugnator.* Quæ si vixerit, ego pariter vixero, etiam si vixeris¹⁰. Qui volet, pro laureis corollis ac myrteis certet, ego pro ea sola, non solùm cum mei nominis, sed et capitis periculo, si res exegerit, vel mordicus decertabo. Dabo autem interim operam ne quid tumultus, me authore, in ecclesia suboriat, feramque vel æquanimiter te tuo interim frui judicio. Odi siquidem tumultus, qui nihil fructus ecclesiæ afferre possunt, incommodare autem plurimùm. Tu quoque vicissim curato, ut quod seis me tecum agere, nescias.

Itaque *alteram propositionum qua te percitum*¹¹ *ut sic scri-*

⁹ Le 28 mai 1543, Calvin écrivait à la Classe de Neuchâtel, au sujet des *articles* et des *conclusions* de *Cortesius*, qu'il venait de recevoir (t. VIII, p. 379, lig. 5-6, et p. 381, lig. 3-4). Ces *articles* se réduisaient peut-être à deux. Malgré les caractères serrés de l'original, on lit plutôt ici *geminis paradoxis* que *geminis*.

¹⁰ L'écrivain, qui avait employé correctement le verbe *vinco*, à la fin du 1^{er} paragraphe de sa lettre, voulait dire ici: Quæ si *vicerit*, ego pariter *vicero*, etiam si *viceris*. Le solécisme qu'il a commis ne prouve pas absolument ce que disait Calvin (VIII, 379): que *Chaponneau* n'avait jamais bien appris les éléments de la grammaire. Mais on doit reconnaître qu'il les oubliait parfois et qu'il se permettait d'étranges libertés d'orthographe. Exemples: *ambianda* suffragia; *forsam*, pour *forsan*; *ginitur*, au lieu de *gignitur*; *nampe* (nempe); *nutro modo*; *pandere* (pendere); *panduli* (penduli); *reisserit* (reiecerit); ut quod *sensio* te non *cellem*, etc. Nous avons négligé ces formes fantaisistes et suivi l'orthographe usitée de son temps.

¹¹ Il manque ici un mot: *ais* ou *dicis*. Cf. t. VIII, p. 381, lig. 5-8.

beres, hanc esse putavi : « Christus, in quantum Deus (sic enim loquor). est à se ipso. » A qua tantum abest ut velis discedere, ut pergas eam novis rationibus dictim stabilire, ac ascitis undequaque veterum sententiis, quæ tibi objecta sunt argumenta eludere. *Unde verò tam pervicacem animum hauseris nescio, nisi quòd omnes eo sumus penè præditi genio, ut semel admissi nos rarò vel nunquam pœniteat.* Turpe enim ducimus funem reducere, idque tum maximè quum literariis monumentis semel nostræ eruditionis, nedum popello, sed et viris emunctæ naris fidem fecimus, simulque eorum ora demeruimus. *Illud autem imprimis satis mirari non potui quod, in vestibulo epistolæ Cortesio ad nos datæ¹², de propositionum reduplicativarum expositione scribebas, eoque diligentius expenso (si res pro qua controversamur seria non fuisset) te nobiscum ludere voluisse putassem.* Pudebat siquidem, quum in comiciis legeretur epistola, ferre hominis impensè docti, in re tam levi, hallucinationem : in qua puer totos sex menses in dialecticis versatus, haudquam hallucinaretur. *Si hæc tua epistola in nostrorum Gallorum manus perrenerit, eam quam de te induerunt, facillè exuent opinionem.* Et quibus rixandi studium adlubescit, quod hætenus horruerunt, posthac nobiscum de religione non detrectabunt inire certamen. Miratusque sum quòd hanc : « Christus, in quantum Deus, est à se ipso, » pro verè reduplicativa duxeris, quandoquidem nonnihil tropicæ locutionis habet, quo fit ut ab ea argumentum ducere non liceat, sicut nec ab hac : « Christus in quantum homo, est creatura. » Cum verò eam pro verè reduplicativa exceperis, fatearis oportet ex hac rectè inferri : Christum à se ipso esse. Nemo enim tam stupidus, qui à verè reduplicativa affirmativa ad exponentes acervatim coactas, atque ad earum quamlibet seorsum sumptas, bonam esse illationem non intelligat. Quis, obsecro, ex æquivalente æquivalentem colligi posse negaverit ? At exponentes propositionis reduplicativæ exponi-

¹² C'est l'épître de Calvin aux pasteurs neuchâtelois que nous avons placée dans la seconde moitié de septembre 1543 (N° 1287, pp. 44-47). Cortesius, qui partait de Genève pour retourner à Neuchâtel, en fut le porteur.

Les nouveaux éditeurs de Calvin supposent (dans leur note 8, p. 784) que la lettre visée ici par Chaponneau est perdue. Mais ils ont oublié qu'elle existe dans leur tome XI, p. 652.

bili æquipollent : alioqui verè exponentes nemo dixerit. Proinde, si quis sic intulerit : Christus, in quantum Deus, est à se ipso, ergo Christus est à se ipso, et Christus est Deus, et Deus est à se ipso, et si aliquid est Deus, ipsum est à se ipso, — ex tua hypothese rectè intulerit. Sic enim de reduplicativarum expositione qui dialectice norunt vel ab uno sentiunt.

Quorum sententia, quando assertioni tuæ præjudicabat, tantùm abest ut tibi arriserit, ut mox ad novas artes, quò tibi pateret effugium, deflexeris inquiens¹³ : « Quum mihi vulgarem illam regulam quam dialectici in scholis tradunt de reduplicativis propositionibus objiceret¹⁴, respondi id quod est : secundam, quam vocant exponentem, debere non simpliciter, sed secundùm quid intelligi : alioqui fallaciam accidentis fore. » Quis hïc, vel agelastus, risum contineat ? Profer, quæso, vel unum qui sic desipiat, ut ab hac colligendi lege aliquando abhorruerit ? si à verè reduplicativa (qualem hanc vis esse) fuerit ratiocinatus, atque ab ea argumentum duxerit ? Sic enim ex admissio, artificiosè colliget dialecticus : Christus, in quantum Deus, est à se ipso. Ergo Christus est à se ipso. Hæc enim exponentium prima est. Deinde : Christus, in quantum Deus, est à se ipso. Ergo Christus est Deus. Hæc exponentium (si me receptissima dialecticorum regula non fefellit) secunda est, quam nescio quo afflatus spiritu asseris non simpliciter, sed secundùm quid debere intelligi. Profer, obsecro, intellectum illum secundùm quid, et eris nobis magnus Apollo : summopere enim illum ex te penduli desideramus audire. Articulus fidei est : Christus est Deus, quem nobis bæoticis ænigmatibus hoc novo commento pergis reddere obscuriorem : quem apertissimum esse conveniebat. Ut enim scientiarum prima principia obscuritatis nihil circumferant oportet, alioqui prima principia esse non possunt, sic et fidei articulos ab omni amphibologia oportet esse alienos.

Verùm forsàn hïc in exponentium ordine falsus sum. Nam quam secundam voco, tu primam vis esse in ordine. Feram quem voles ordinem, modò me juxta dialecticorum præscripta patiaris colligere, id est, ex reduplicativa affirmativa exponentes coacervare, et exponentium quemlibet inferre. Quod si tuleris.

¹³ Citation d'un passage de la susdite épître de Calvin (N° 1287, p. 44).

¹⁴ Sous-entendu : *Cortesiis*.

sequitur : Christus, in quantum Deus, est à se ipso, ergo Christus est à se ipso. Consequens est falsum, falsum igitur erit et antecedens, quod hactenus verum esse defendisti. De consequentis falsitate neminem puto hæsitaturum præter te, qui, dum rimas quibus elabereris quærereris, verum esse secundum quid, non autem simpliciter videris asseruisse : quod rursus tui oblitus, simpliciter ipsum verum esse fateri non dissimulas. Cyrilli siquidem (cujus mentem meo judicio oscitanter satis advertisti, ut paulò post à me audies), auctoritate prolata, sic attexuisti¹⁵ : « Argumentatur ab absurdo, ut Christum à se ipso esse extorqueat, » locumque Cyrilli apertum ais. Unde hoc facile collectum jactas ? Hic tibi unum, quò ad id quod jam cœperam mox revertar, dicam : Si ex eo Cyrilli quod protulisti testimonio, Christum à se ipso esse intuleris, ego longè rectius ex hac : Christus, in quantum Deus, est à se ipso, Christum à se ipso esse intulero. Nihil enim habet habitudinis cum hoc pronunciato Cyrilli auctoritas.

Verùm extra oleas (quod aiunt) currens, hæc fallaciam accidentis citra rationem inesse pronuncias. Tolerabilius forsan fuerat dicere : à dicto secundum quid ad simpliciter rationem fuisse concinnatam, tametsi neutram hæc inesse sum admissurus, quòd propositionem pro qua controversamur pro verè reduplicativa receperis. Tandem verò, quò hunc ratiocinandi modum probè à te prorsus elusum persuaderes, adjeceisti¹⁶ : « Protuli multa exempla quæ tollendæ controversiæ sufficerent. Cujus generis sunt hæc : Deus, quatenus in Christo nos justificat, non exerceat judicium adversus impios, etc. » O novam consequentias eludendi rationem ! De affirmativa controversamur, et interim nobis negativas aliquot obtrudis. Putasne nos tam infeliciter in dialecticis versatos, ut à te tam facile nobis sinamus imponi ?

Nedum in proferendis exemplis hallucinaris, sed et exponendorum exemplorum æquas leges non assequeris. Nec enim ea lege qua eam pro qua controversamur¹⁷, prolatas à te rectè ex-

¹⁵ Dans la susdite épître (n. 12), plusieurs passages de Cyrille sont cités par Calvin, p. 45.

¹⁶⁻¹⁸⁻¹⁹⁻²⁰ Nouvelles citations de la lettre de Calvin écrite en septembre 1543 (N° 1287).

¹⁷ Il manque ici un mot (*questionem* ou *propositionem*).

posueris. Deinde cogita, hujusmodi perplexas propositiones nonnunquam gratia causalitatis, nonnunquam gratia concomitantiae exponi: de quarum expositione, si liceret repuerascere, multa à me tibi scribenda forent, non quò hominem melioribus studiis occupatum remorarer, sed ut veritatem plerumque sine hujusmodi levium rerum cognitione, periclitari intelligeres. Itaque post prolata exempla, quibus tibi victoriam polliceris, adjecisti¹⁸: « In his etsi nuda veritas, in exponentibus erit controversia, si quis rixari velit: verum semper solutio plana est. » Si cum homine, cum quo nihil mihi unquam fuisset commercii, negocium esset ac concertatio, excandescerem ac hominem tam intempestivè respondentem in Anticyras relegarem. Quì fiet, obsecro, vir erudite, ut in exemplis plana sit veritas et in exponentibus perplexitas? Pergemus, ut video, te authore, aperta tenebris involvere et lucem nubibus obducere, atque ignotum per ignotius exponere. Addisque tandem: « Sufficit eas aliquo modo vel secundum aliquem intellectum veras esse¹⁹. » Indigna quidem te hujusmodi responsio, qua dum mihi uti licebit, vel Gordium (quod aiunt) nodum quasi Tenedia bipenni sum discissurus. Audivi olim *Sorbonistas* (ut vocant) in *Sorbona* rixantes: verum eorum nemo tam intempestivam attulit responsionem, qui ab arena protinus non discesserit ex[s]ibilatus. Da utram voles contradictionis partem, facilè illam, si me hoc responsionis genere uti tuleris, pergam defendere.

Sed quid hic à te sim auditorus, satis intelligo. Nempe rixosus hic garrit sophista, nihil præter puerilia afferens. Non est tibi apud me præfata venia, etiamsi me mille probris aut scommatibus insimulaveris, modò integrum christianæ charitatis vinculum perseveret, quod spero. Interim autem, quò illud tuum paradoxum assereres, ad antiquorum præsidia, præter meam expectationem, confugisti. Nam aut fidei articulus est, aut articulis hærens. Quòd si pro articulo duxeris, imprimis divinarum scripturarum ambienda erant suffragia, quandoquidem, juxta Dionysii sententiam, non est audendum dicere de substantiali divinitate præter ea quæ divinitus nobis ex sacris eloquiis expressa sunt. Si verò nec articulum nec hærens articulis, cur tam anxie in hujus assertionem sudaris nescio. Quòd verò rem sic fueris aggressus, gaudeo. Nam ea lege qua istud tuum para-

doxum licuit defendere, mihi quoque invadere, aut à te emissa jacula excipere exceptaque in te retorquere licebit. Sic igitur rem syllogismo aggrediar : Nihil quod ex alterius substantia est, à se ipso verè esse dicetur. Nam esse à se, et ex alterius substantia esse, apertissimè pugnant. At Christus, in quantum Deus, ex alterius substantia est. Christus igitur, in quantum Deus, à se ipso non erit. Vides hinc, ut coniecto, epicheirama quod ne quidem Chrysippus ipse eluserit. Sed minoris forsàn à me probationem eris exacturus. Addam ex Athanasii symbolo, qui de Christo loquens inquit : Deus est ex substantia patris ante saecula genitus, et homo ex substantia matris in saeculo natus. Quid ad hæc felieis ingenii tui perspicacitas dictura sit, ne suspicari quidem possum. Quisquis enim rectè dialecticari novit, syllogismum hunc à vicio prorsùs assertum intelliget. Proinde qua tibi pateat effugium non video, nisi quòd portentosum mihi nescio quid cornicans inquis²⁰ : « Tum ad illum nodum ventum est, quòd non putabat [posse] nos loqui de Christi essentia, præterita personæ mentione. » Quibus in verbis duo admodum mihi perplexa exquirenda visa sunt. Prius, quid per essentiam Christi, quem suppositum in duabus naturis nemo non agnoscit, cupias intelligi. Aut enim per essentiam, divinam naturam ac substantiam (quæ summa essentia est), vel aliquid ex divina et humana natura confusè conflatum intelligis. Posterius à te dicendum nequaquam putaverim : sed quid hinc præsidii tibi allatum putes nescio. Cum enim à posse ad esse nulla formalis sit illatio, quo modo colliges : de Christi divinitate loqui possumus, præterita personæ mentione, ergo Christus est à se ipso? Si sic tibi licuerit colligere, mihi quoque citra pudorem quodlibet ex quolibet inferre licebit.

Cæterùm loquere de illa ineffabili essentia, eamque summa cogitatione versa dum voles, ac quantum voles, hujusmodi locutio aut versatio in gratiam tue assertionis nihil est effectura. Probanda à te hæc erat : Christus, quatenus Deus est, est à se ipso. Cujus apertè contradictoriam intulimus, eandemque rursus expositorio syllogismo, juxta aquas ratiocinandi leges, sic inferemus : Filius Dei est à patre. Christus in quantum Deus, est filius Dei. Ergo Christus, in quantum Deus, est à patre. Subsumam : Christus, in quantum Deus, est à patre, ergo non

est à se ipso. Quo modo ex his se fraudulenta laqueis ereptura sit²¹ vulpecula, non intelligo. imò ne quidem ipsa intelligit, nisi forsitan confessionis olim emissæ²² non oblita inquit : « Illud autem est divinitatis elogium, quod non minùs patrem et spiritum quàm filium complectitur²³. » Dubio procul eadem patris, filii ac spiritus sancti substantia, divinitas et essentia, quæ et de qualibet persona verè enuntiari potest. Pater enim essentia divina est, est et filius, itidem et spiritus sanctus. Ipsa enim essentia eadem personis est ac relationibus personas constituentibus, rursusque relationes id ipsum quod essentia secundùm rem. Differunt tamen secundùm intelligentiæ rationem, quandoquidem relatione respectus ad suum oppositum importatur, essentiæ verò nomine nihil hujus generis significatur. At propter illam realem identitatem id de persona dici, quod de essentia verè affirmatur, nequaquam feremus. Neque enim sequitur : Divinitas est à se ipsa, ergo filius est à se ipso. Nam filium, cum nulla res se ipsam gignat, ab alio genitum esse oportuit, tametsi in tua *Christiana Institutione* pro absurdo non duxeris filium à se ipso esse, quò istud tuum paradoxum astutè assereres. Locus sic habet²⁴ : « Nunc enim patrem filii principium esse tradunt, nunc filium esse à se ipso, et divinitatem et essentiam habere asseverant. » Ex quo rursus loco, si quis concinnè fuerit ratiocinatus, citra laborem te in redargutionis nasam facillè ostendet prolapsam. Sequitur enim : Pater est filii principium, filius igitur à se ipso non est. Deinde : Filius à se ipso vitam et essentiam habet, ergo filius à se ipso est. Quid, obsecro, est à se ipso esse, quàm vitam et essentiam à se ipso habere ? tum maximè in Deo, in quo idem sunt esse et essentia ?

²¹ Chaponneau avait écrit *eripiat*. Une main étrangère a biffé ce mot et l'a remplacé par *ereptura sit*.

²²⁻²³ Il s'agit ici de la Confession de foi présentée par Farel, Calvin et Viret au synode de Berne, le 22 septembre 1537, et dont voici le titre : « Quòd asserimus Christum esse Iehova. » (Copie contemp. Bibl. des pasteurs de Neuchâtel. — Defensio Nic. Gallasii, 1545, pp. 53, 54, 60. — Calv. Opp. éd. cit. IX, 708. — Cf. notre t. IV, pp. 300, 301, 463.) On lit, en effet, dans cette Confession : « Nomen autem Iehova est divinitatis elogium, quòd non minùs Patrem, Spiritum, quàm Filium complectitur. »

²⁴ *Institutio Christiana*, édition de 1543, p. 127, lig. 11-12. — Calv. Opp. Brunsv. I, 491.

Juxta quod Hilarius septimo de Trinitate ait : Esse non est accidens in Deo, sed subsistens veritas. Vide, frater, in qua te conjicias discrimina. Nullibi periculosius erratur, nec quicquam fructuosius investigatur.

Sed, ne Celtica (quod aiunt) audacia id quod mordicus tenes, tueri pergas, addam adhuc unum atque alterum syllogismum. Prior hic erit : Omnis divina persona vel est generans, vel genita, vel spirata. At Christus, in quantum Deus, divina persona est. Christus igitur, in quantum Deus, persona est vel generans, vel genita, aut spirata. Eludat hoc genus illationis, si potest, *Calvinus*. Non est autem generans nec spirata, erit igitur persona genita : quod si genita, eat *Calvinus* ac vociferetur, Christum, in quantum Deus, à se ipso esse. Quod si fecerit, videat quo sit dolo summam ignominiam evasurus.

Præterea : Nullus habens vitam et essentiam ab alio communicatam ac datam, à se ipso esse dicitur. Christus, in quantum Deus, vitam ac essentiam ab alio communicatam ac datam habet : à se ipso igitur non erit. Hoc argumentum, quale est, ex tua posteriore epistola²⁵, a *Cortesio* tibi aliquando fuisse obtrusum intelligo, ipsumque, sed frustra, nisus es eludere. Admissa quippe majore (quam nemo citra hæreseos notam rejecerit), minori auctoritate Joannis firmatæ, qua ait : Sicut pater habet vitam in semet ipso, sic dedit filio vitam habere in semet ipso [Ev. v, 26], respondes : Primum « neque in divinam neque in humanam Christi naturam simpliciter competere, sed in totam personam. » Bella quidem, sed non usquequaque tuta, neque admodum apposita responsio. Hic enim ingenuè tibi fatebor, patrem, qui vitam à semet ipso habet, qui non participatione vivit, sed incommutabiliter vivit et omnino vita est, dedisse filio vitam habere in semet ipso : sicut habet, sic et dedit. Quid interest, nisi quod dedit pater, filius accepit ? Quomodo enim dedit ut esset, sic dedit ut vita esset in semet ipso. Cum autem dicitur : dedit filio vitam in semet ipso habere, tale est ac si diceretur : genuit

²⁵ A propos de ces mots : *ex tua posteriore epistola*, les nouveaux éditeurs de Calvin disent, en note : « *quam ?* » — C'est encore la lettre que nous avons indiquée dans la note 12. Le passage qui en est cité plus bas, après *respondes*, est identique aux deux dernières lignes de la p. 45 et aux cinq premiers mots de la p. 46 de ce volume.

ab æterno filium : generando enim dedit, dumque gi[g]nitur filius, accipit. Hinc Augustinus : Pater vitam habet in semet ipso, quam nemo ei dedit. Filius autem vitam in semet ipso habet quam pater dedit. Itaque cum verbum à patre genitum hæsitet nemo, fatearis oportet, seclusa humana natura ipsum Dei filium ab æterno vitam à patre naturaliter accepisse. Huic nostræ sententiæ subscribit Hilarius, octavo de Trini[ta]te inquiring : Donantis auctoritate pater major est, sed minor non est filius cui unum esse donatur.

Afferam et hæc Cyrilli, qui, ut video, tibi minùs est suspectus, sententiam ex libro Thesauri quarto : Filius, inquit, dante patre, qui ipsum esse dat, vitam habet in semet ipso. Libro quoque decimo ait : Dum filius à patre nascitur, omnia naturaliter, ipsum etiam esse, à patre habet et ideo dicitur à patre accipere. Non igitur quoniam non habet, accipere aliquid à patre scribitur. Habet enim omnia naturaliter, cum verbum et splendor lucis paternæ sit, uno solo excepto, quòd pater non est : accipere autem à patre se dicit, ut futuras hæreticorum opiniones radicatus everteret. Nam quis omnia in filio prospiciens, propter incommutabilem similitudinem atque identitatem, eundem putet patrem et filium esse (quod Sabellio accidit), necessariò à patre accipere quæ ab eo naturaliter habet, ut cum alter det, alter accipiat. Adde quod Augustinus libro quarto de Trinitate ait : Pater est principium totius deitatis. Id autem esse oportet aut generando aut spirando. Nemo sanè, præter generationem et spirationem, alium in patre notionalem actum constituet. Quicquid igitur ad intra pater ut principium operatur, vel gignendo vel spirando agit : at divinam naturam pater neque generat neque spirat, se ipsum quippe generaret. Nulla autem res (ut idem Augustinus libro primo de Trinitate ait) se ipsam generat. Pater igitur filio æterna generatione, spiritui verò spiratione, vitam communicat. His astipulatur Ambrosius in secundum caput ad Ephesios. « Voluptas enim, inquit, carnis est [in] visibilibus oblectari, ut elementa quæ Deus gubernacula [mundi] instituit, deos appellet, cum hoc nomen uni Deo debeat, ex quo sunt omnia, ut sicut nullum participem habet ex his in virtute, ita nullum habeat consortem in nomine. Christo autem idcirco hoc nomen non negatur, quia sicut eis communis

natura est, ita erit et nomen. Hoc tamen inter patrem et filium interest, quia pater à nullo accepit, filius autem per generationem omnia patris accepit, ut in virtute et substantia et nomine nihil distet filius à patre. » Ad hæc rursus quæ in primum caput idem scripserat Ambrosius facere videntur. Claritatis tamen, inquit, patrem vocat et Christi deum, cum verus Christi pater sit Deus et deus creaturae. Deinde paulo post : « Tocius ergo claritatis pater est, quia ab ipso est omnis claritas et potestas et dignitas, » non generando aut spirando sed totam communicando naturam. Nemo enim propriè naturam divinam genitam aut spiratam dixerit. Ex his, ni fallor, syllogismi minor adèò aperta est, ut neminem posthac sine summa ignominia nota putem refragaturum.

Sed ut rem magis illustrem, à te mihi in tuam responsionem examinandam mox descensuro, unum responsum optarim. Quum inquis : Christus, in quantum Deus, à se ipso est, aut Deus pro ipsa essentia absolutè considerata, sive non suppositata, aut pro verbi persona, accipi intelligis. Utrum voles elige. Si pro natura non suppositata, vide quæ hinc sequentur inconvenientia atque quid hinc inferri possit. At si Deum pro verbi persona (quemadmodum et veritas urget) accipi tuleris, Christum, quatenus Deus est, non esse à se ipso fatearis oportet. Quòd verò Deus pro persona verbi (quum dicitur : Christus in quantum Deus à se ipso est) accipiatur, nemo non videt, nisi qui nimis in theologia versatus est infèliciter. Hoc quippe concretum Deus ex suo significandi modo (ut theologi aiunt) ut pro persona supponat habet, sicut et hoc nomen homo²⁶. Unde verè in symbolo dicitur : Deum de Deo, lumen de lumine. Tametsi nonnunquam

²⁶ Éd. de Brunswick : sicut et hoc *nomine habetur* : variante qui ne paraît guère admissible, parce que l'original et la copie (p. 9, lig. 3) ne portent pas *noīe*, mais *nomē hō*.

Ce détail en amène un autre. Les pp. 1-8 et 14-18 de la susdite copie sont d'une écriture jaunée et qui n'a rien de caractéristique. Au haut de la page 9, on trouve une nouvelle écriture : la gothique nette et cursive de Robert le Louvat, pasteur à Dombresson, dans le Val-de-Ruz. Il a écrit cinq pages avec la belle encre noire de Chaponneau. Celui-ci, un jour de congrégation, l'aura invité à dîner dans son presbytère, et prié de transcrire une partie de son Épitre. On voudrait pouvoir ajouter avec certitude : Chaponneau avait au moins un ami dans le clergé neuchâtelois.

pro essentia accipi videamus, ut cum dicitur : Deus creat, quod subjecto competit ratione formæ significatæ, quæ est deitas.

Sed redeo ad illam tuam insignem responsionem, qua asseris, Joannis auctoritatem neque in divinam neque in humanam Christi naturam simpliciter competere, sed in totam personam. Ut jam sum tibi præfatus : Pater filio vitam dedit, nam ab æterno filium ex sua substantia genuit. Hoc enim est filio vitam dare, quod ab æterno generare. Non autem divinæ naturæ vitam dedit. Nemo quippe concessurus est : Sicut pater vitam habet in semet ipso, ita dedit naturæ divinæ vitam habere in semet ipsa. An verò hæc in humanam competant naturam, accipe, idque imprimis ex Cyrillo, qui in illud Joannis : Sicut pater habet vitam in semet ipso, etc., sic scribit : Nolite mirari si, cum me hominem esse videatis, suscitaturum tamen mortuos me pollicear, et in judicium deducturum miniter : dedit enim vivificandi virtutem pater, dedit judicandi potestatem. Sed ut lubricam Judeorum mentem his retinere studuit, sic aliorum quoque curam non parvam habuit. Quapropter causam, quare hæc sibi data à patre dixerit, illico subjecit, dicens : quia filius hominis est, ut intelligamus omnia sibi data fuisse ut homini, qui cum creatura sit, nihil habet à se ipso. Quam sententiam in libello quem [edidisti] adversus eos qui animas corpore exutas dormire contendunt, expressisti, inquires²⁷ : Cum autem dicimus Christum, quatenus homo est, vitam habere in semet ipso, non ipsum sibi causam esse vitæ dicimus, sed hoc tantum, omnem vitæ plenitudinem a Deo patre effusam in Christum hominem²⁸, qui utique homo creatura est. Adverte, obsecro, ne in re tam seria ludamus aut ludamur, perpenditoque quid Cyrillus, cujus te video sequacissimum, velit, cum inquit Christo omnia data fuisse, ut homini, qui creatura est. Nomine quippe hominis qui creatura est, alteram à verbo assumptam oportet intelligas naturam. Qui enim fiet ut hominis nomine, qui creatura est, personam in duabus naturis quis rectè intelligat, cum nemo fassurus sit Christum creaturam esse ? Pater igitur in hominem,

²⁷ La citation qui suit est tirée de la *Psychopamychia* (Éd. de 1542, f. 14. — Calvini Opusc. Genève, apud Joannem Gerardum, M. D. LII, in-fol., p. 11).

²⁸ Dans l'ouvrage cité, la phrase de Calvin finit ainsi : « omnem vitæ plenitudinem a Deo Patre effusam esse in Christum hominem. »

qui creatura est, vitam effudit. Nec pater hoc solus, sed verbum cum spiritu fecit. Quippe quum eorum una sit natura, citra impietatem divisas nemo dicet operationes. Sed quod ab una persona factum dicitur, id tocius trinitatis opus, quisquis rectè sentit, sine ullius personæ injuria fatebitur. Quum enim consubstantialitate unum sit trinitas, una dubio procul est virtus ejus atque potentia. Omnia enim ex patre per filium in spiritu sunt. Hinc et Christus ait : Quaecunque enim pater facit, hæc eadem filius similiter. Communicant igitur pater, filius ac spiritus sanctus homini, qui est creatura, vitam quam à se non habet.

Possem tibi hæc multa ex Augustino atque Hilario congerere, sed prestiterit ex Cyrillo, ejus meo judicio receptior tibi futura est sententia, id ipsum moliri. Agedum, locum proferamus. Scribit Cyrillus libro decimo Thesauri : Habet semper omnia pater quæ filio dedit, et filius similiter semper habet quæ semper accipere ut hominem ait, ut ipse dicit : Pater diligit filium et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. Si ergo judicandi potestatem datam sibi ait, non alia quadam de causa, sed quia factus est homo, perspicuum est, quia non ut verbum Dei, et Deus ipse accipit, sed ut homo. Ex quibus ac cæteris præfatis, si bæotica sue stupidior non sum, mihi duo adversum te colligere licebit. Prius : verbum ipsum divinum ab æterno genitum, vitam datam à patre accepit. Alterum : Christus secundum hominem (quum autem hominem dico, naturam non personam, ne quis tetradam in divinis nos putet constituere, velim intelligi) nedum judicandi, sed et vivificandi²⁹, donante patre, filio ac spiritu sancto, accipit. Quæ ubi stabiliero, artificiosa mox illa tua fatiscet solutio. Id autem facilè ac citra laborem sum effecturus. Sequitur enim : Semper omnia habet pater quæ filio dedit : dedit igitur vitam. De antecedente non es hæsitaturus, si Cyrillo refragari non perrexeris, imò, ut veriùs dicam, Scripturæ. Si verò hoc illationis genus, quò te ex hoc laqueo eripias, rejiciendum duxeris, habeo pedicas quibus molientem fugam mox remorer. Ex opposito siquidem consequentis id quod cum antecedente pugnat colligere haudquaquam fuerit operosum, ac breve hoc enthymema in syllogismum necessariò

²⁹ Après *vivificandi*, suppléez *potestatem* ou *virtutem*.

concludentem reducere. Contradictorium quippe illati est : Pater non dedit filio vitam, ad quod id quod cum antecedente stare nullo modo potest sequitur. Nempe omnia quæ semper habet pater non dedit filio : at vita aliquid eorum est quæ semper habet pater, vitam igitur dedit filio.

Forsan hîc rursus, quod à me satis elusum putavi, es obje-
 turus, filium scilicet hîc pro persona in duabus naturis accipi.
 Ego his tuis prolatis citra rationem aut auctoritatem facilè non
 assentior. Profer, obsecro, vel unum, si potes, qui huic tuæ res-
 ponsioni patrocinetur. Dicatque Joannis auctoritatem (de anti-
 quis loquor) : Sicut pater habet vitam in semet ipso, etc., in
 totam convenire personam, quæ geminas in se naturas com-
 plectitur ? Mox ego huic Catholicæ veritatis propugnatorum
 numerosam opponam phalangem, meam adversùm te sententiam
 defensurus : Hilarium scilicet, Augustinum, Ambrosium, ut in-
 terim de te ac Cyrillo taceam. Sic enim Hilarius libro nono de
 Trinitate scribit : Quòd enim pater dedit potestatem, in hoc
 filium genuit, quod filius accepit. De verbo loquitur, nativitatem
 consummat. Dedit enim ei pater potestatem omnis carnis, et ad
 id dedisse³⁰ ut det eis vitam æternam. Habet in dante quod
 pater est, et in accipiente quod Deus est, cum et in eo signifi-
 cetur pater esse quod dederit, et in eo filius deus maneat, quòd
 vitæ æternæ dandæ sumpserit potestatem. Moxque sententiam
 collecturus infert : Naturalis igitur filio Dei et congenita omnis
 potestas est, quæ cum data sit, non alienata est per id ab autore
 quia data est, quum quod est authoris hoc datum sit, dare sci-
 licet vitam æternam. Tum paucis interpositis adjungit : Dedit
 itaque pater omnia, et accepit filius omnia. Nec multò dissimilia
 apud eundem passim lector sedulus offendet, ac tum maximè
 in eo quem de Synodis scripsit libello. Augustinus verò hujus-
 modi sententiis totus scætet : quas nulli, præterquam summè
 desidi, colligere fuerit operosum. Et ut fidem tibi faciam, unam
 atque alteram ex ejus tractatibus proferam sententiam. In trac-
 tatu enim 22 in Joannem sic scribit : Dedit illi ergo vitam ha-
 bere in semet ipso, dedit ei, tanquam verbo suo, tanquam ei
 qui in principio erat verbum. Alibi quoque idem apertissimè
 insinuans ait : Hoc inter patrem solùm interest et filium, quia

³⁰ Il manque ici un mot, *dicitur* ou *scribitur*.

pater vitam habet in semet ipso, quam nemo ei dedit, filius autem vitam in semet ipso habet quam pater dedit. Præterea in illud : Pater quod dedit mihi majus omnibus est. Filius de Deo Deus, de æterno æternus. Pater autem non de filio Deus, ideo pater filio gignendo dedit ut Deus esset, gignendo dedit ut sibi cœternus esset. Glaucoma, qui hæc non videt, patitur, aut objectos veritatis radios excipere subterfugit.

Verùm ne tam apertæ veritati probatio desit, Ambrosii addam suffragium. Post crucem, inquit, manifestatur quid à patre cum genera[re]tur accepit. Non enim tunc accepit, cum à creatura cœpit sciri illius divinitas, illius majestas. Homini non est datum nomen Dei quod est supra omne nomen, non sola appellatione sed et natura, sed ei qui æqualis, qui se exinanivit, cujus omnia à patre sunt. Nec hanc sententiam adversatur Cyrillus, versans illud : Sicut pater habet vitam in semet ipso, etc. Examine porro, inquit, singula Evangelii verba, diligenterque ponderate, quoniam magnus latet in ipsis sensus. Scribitur enim quòd pater vitam in semet ipso habet. Hoc autem : in semet ipso, nihil aliud significat quàm essentialiter. Sed filius quoque dante patre, qui esse ipsum dat. Rursum libro Thesauri 10. capite primo, verbis apertioribus idem insinuans inquit : Cum ex substantia patris prodeat filius, omnia æternaliter patris habet, æternaliter etiam hac ratione ex eo accipit omnia quæ ipsius patris sunt. Alio quoque loco scribit : A patre cum necessariò accipere quæ ab eo naturaliter habet, ut cum alter det, alter accipiat. De verbo ab æterno genito, non de assumpto homine loquitur. Is enim vitam naturaliter non habet, sed per gratiam.

Quod et tu, divino tibi suggerente spiritu, in libello tuo quem supra citavimus, non tacuisti. Sic enim ais : « Cum Christus sit Dei filius et hominis, quod est natura ut Deus, id est gratia ut homo⁵¹. » Nemo igitur, nisi mentis oculis orbat, non videt verbum ineffabili modo à patre genitum, vitam habere communicatam, Christumque secundum hominem vitam accepisse à patre, verbo ac spiritu sancto donatam. Cum verò hominem dico, naturam assumptam intelligo, non personam. Nemo quippe verbum (ut jam sum præfatus) personam assumpsisse, sine reli-

⁵¹ *Psychopannychia*, édition précitée, p. 10.

gionis injuria asseveraverit. Tametsi hanc sententiam *tua Institutio* alicubi prorsus non adverteretur. De qua re, dum per ocium licebit, à me nonnihil audies. Non est tamen hinc cur mireris aut obstupescas. Nihil enim à tua et Cyrilli sententia alienum dicitur. Verum quo donationis genere vitam verbo communicatam, quo deinde assumpto homini, velim hinc imprimis intelligas. Verbo quidem naturali donatione vita ab aeterno donata est, homini verò assumpto ex tempore gratuita. Varium hoc donationis genus si, ut conveniebat, attendisses, *Calvine*, non tam turpiter desipuisses, neque *Joannis* auctoritatem, quæ te pressius urgebat, tam miserè torsisses, nec tam longa mihi pro hac re tecum opus fuisset concertatione.

Ne verò quod à me tibi hinc occinitur, ex theologorum (quos nonnunquam *tua Institutio* auritos asellos vocat) lacunis haustum putes, aut à me ex industria confictum, ex ipso Cyrillo istud ipsum aperire tentabo, sperans me rem tibi facturum multò gratissimam. Sic enim Cyrillus, libro *Thesauri* 4°, fidem tibi facturum loquitur, adversus eos qui filium patre posteriorem (quòd ex ipso multa recepisset) impudentissimè asserebant. Non enim filius prius non existens nihil ex patre habuit, deinde ex eo aliquid accepit, sed naturaliter natus ex patre, omnia nascendo quæ patri naturalia sunt naturaliter consequitur. Quemadmodum si quis lucem quæ prodit ex sole accipere aliquid ab eo ideo diceret, quoniam omnia quæ sunt in luce, et ipsa lux, ex sole sunt. Deinde post pauca adversus eos qui ita argutabantur: Si ergo pater essentialiter vita est, et filio vitam dedit, non habet ergo aliquando filius vitam: quomodo ergo similis erit patri qui ab eo recipiat quod ipse non habeat? Respondet: Hoc autem, in se ipso vitam habere, nihil aliud significat quàm essentialiter. Hoc de homine assumpto nemo rectè intellexerit. Scribitur autem: dedit, ut naturaliter ac essentialiter ex patre filius esse significaretur. Non enim pater aliquid dedit filio, quasi à se ipso auferens secundum locales ac divisibiles corporis incisiones, sed quemadmodum planta fructui, qui ex ipsa est, naturaliter suam qualitatem dat, sic et filio pater omnia sua dat. Deinde paulò post: Solus, inquit, ea pater habere dicitur, in quantum à nullo habet, sed omnia quæ sibi naturaliter insunt, filius suus, ex eo prodiens, consequitur naturaliter. Possem

in hujus sententiæ suffragium infinitos penè locos producere, verùm hæc mihi sufficere videntur.

Homini verò assumpto qui creatura est, unde et vitam naturaliter habere non potuit, gratuita donatione vitam datam accipere scribit Cyrillus. In quintum Joannis de Christo loquens ait, omnia data fuisse ut homini, qui quum creatura sit, nihil habet à se ipso : unigenitus verò Dei filius non vitæ particeps, sed vita naturaliter ut pater est. Idem in illud Joannis : Caro non prodest quicquam. Natura, inquit, carnis ipsa per se vivificare non potest : quid enim majus natura divinitatis haberet ? Nee sola in Christo esse intelligitur, sed habet filium Dei sibi conjunctum, qui consubstantialiter vita est. Quando igitur vivificam Christus ipsam appellat, non ita illi ut sibi sive proprio spiritui vim vivificandi tribuit. Ad hæc accedunt quæ in decimum septimum Joannis caput ab eodem scribuntur, ubi de Christo loquens multò apertissimè distinctioni nostræ patrocinatur. Quæ ut Deus, inquit, naturaliter habet semper, ut homo in novissimis accepit temporibus. Tum paucis interjectis inquit : Quod filio adesse dicimus naturaliter quidem ut ex patre est, datum autem ut homo est : homo enim natura deus non est. Christus autem natura Deus est, licet etiam homo esse intelligatur propter id quod à nobis assumpsit. Denique, ut tam prolixæ tuæ responsionis impugnationi addam colophonem, attende quod libro Thesauri 4^o, idem scribit : Quia vita secundum naturam filius est, accipere à patre dicitur, non in quantum verbum, aut imago patris, sic enim quoque ipse naturaliter vita est, sed in quantum homo factus est. Ita enim pater et tota trinitas vitam filio ut homini præstat. Ecce hîc Cyrillus vitam assumpto homini à tota trinitate præstitam fatetur ingenuè, idque gratuita donatione intelligit, quod nemo inficiabitur. Dum verò verbum à patre vitam accipere negat, non de naturali sed gratuita donatione intelligit : alioqui apertissimè secum pugnantia scriberet, atque sententiam Hilarii, Augustini ac Ambrosii (quam ubi de divinis disserendum est, nemo non prætulerit) everteret.

Hæc animum tuum adactura ad sententiam mutandam satis esse putarem, si eam gladiatorio (quod aiunt) animo tueri non pergis. Porrò, ut nihil eorum quæ à te, in novissima tua epis-

tola³², producta sunt inconcussa relinquamus, adverte quemadmodum tui oblitus adversum te pugnes. Fateris Joannis auctoritatem, qua dicitur : Sicut pater habet vitam in semet ipso, sic dedit filio vitam habere in semet ipso, in humanam nequaquam competere naturam, quod nedum alieno, verum et tuo probavimus falsum esse testimonio. Deinde rimam reperturus, affirmas in totam competere personam. Quid, obsecro, est persona illa de qua loqueris, nisi unus Christus? Nempe post incarnationem unus est et unus manet, absque divisione ulla, præterquam quòd Dei patris verbum et templum à virgine sumptum, idem natura non sunt. Non enim est ejusdem substantiæ verbo Dei homo assumptus, unus tamen est cum illo conjunctione ineffabili. Ratio tamen personæ (sic enim loqui cogor) Christo, ratione verbi naturam assumentis, non naturæ assumptæ, competit. Proinde hanc : Christus secundum quod Deus, persona est, nemo non admiserit, tametsi hanc : Christus secundum quod homo persona est, Catholicus citra impietatem non sit admissurus. Quî igitur fit ut Joannis auctoritatem, in verbum competere, ad quod spectat carnis assumptio, fateri detrectes, non satis assequor, cum id apud veteres videas esse testatum.

Videor hic meo judicio abundè satis adversum tuam responsionem evertendam sudasse. Ad reliqua tui paradoxii eludenda præsidia redeundum est, quò tandem nihil supersit quod hinc in posterum te hæcere permoveat. Protulisti autem inter cætera Cyrilli sententiam qua ait : Quòd à se ipso vitam non habet, quo modo corruptibile non erit³³? Tum ais : « Argumentatur ab absurdo, ut Christum à se ipso esse extorqueat³⁴. » Deinde, quasi jam hic fossam et vallum comperisses, adjecisti : Locus est clarus. *Me miseret tui, Calvine, qui, ob ignoratam colligendi rationem, Cyrillum, qui tibi prora et puppis est, hæreseos nota impudenter pergis insimulare. Quid, obsecro, est Christum à se ipso esse extorquere, quàm certa colligendi lege, Christum à se ipso esse, tanquam verum inferre? At quis pronunciatum hoc : Christus est à se ipso, nisi summè impius, pro vero duxerit? Quid est,*

³²⁻³³ Ce sont encore des allusions à l'épître de Calvin écrite en septembre 1543. Aux pp. 45, 46 du présent volume, on trouve les passages où il cite le témoignage de S. Jean et celui de Cyrille.

³⁴ Cf. la p. 45, lig. 10-11, en remontant.

rogo, Christum à se ipso esse asserere, quàm Christi aeternam à patre generationem negare? Et, ut tandem quod sentio te non celem, accipe: Quisquis Christum à se ipso esse fatetur, Christum filium Dei non esse fateatur oportet. Quí igitur fiet ut Cyrillus, qui istud ipsum (te authore) extorquet, ab hæreseos nota asseratur? Videris sanè mihi in hominem, cujus passim uteris suffragio, haud parùm injurios, dum quod ei nunquam venit in mentem citra rationem a[d]scribis. Quod tandem te intellecturum existimo, si ejus sensum penitèns mecum cœperis explorare, quidque velit toto illo capite decimo octavo libri quarti in Joannem, in quo nihil aliud extorquere contendit (tuo verbo utor) quàm filium secundùm naturam vitam esse, contra eos qui alienæ vitæ dicebant participem. Cujus rei ut tibi fidem faciam, attende verba quæ id quod intempestivè protulisti præcedunt ac sequuntur. Tandem enim post longam satis concertationem attexuit: Si vitam secundùm naturam patrem esse conceditis, probè id quidem, sed vita etiam secundùm naturam filius est. Id enim ex verbis etiam vestris sequitur. Quid enim in filio, quum in ipso sit, pater operabitur? An suam vitam, tanquam indigenti, nec à se habenti, ei donabit? Et quomodo non erit absque vita filius? Et sequitur: Quod autem à se ipso vitam non habet, quomodo corruptibile non erit? Sed non largitur vitam filio pater: vitam enim genuit, atque ideo ipse filius per se ipsum vita est, hoc est, naturaliter. Deinde sub finem capituli colligens: Qui ergo, inquit, immaculata ecclesie sequitur dogmata, fugiat ab istis, et ad simplicem veritatis pulchritudinem vias dirigat suas, et sicut patrem vitam esse naturaliter credit, sic quoque filium vitam esse substantialiter non dubitet. Ut enim lumen de lumine est, sic et vita de vita. Et quemadmodum quæ luce indigent per filium pater illuminat, et sapientes per eum facit, sic quæ vita egent per filium, ut per vitam suam quæ ex ipso emanat, vivificat.

Hic vides, *Calvine*, si lemosus³⁵ non es prorsùs, mentemque cinmeriis tenebris non habes circumfusam, quàm turpiter colligendo erraveris, atque quàm turpi calumnia Cyrillum conspurcaveris. Non ero tamen condonando hoc lapsu admodum diffi-

³⁵ *Lemosus*, mot de la basse latinité, est l'équivalent de *lippus*, et non de *limosus*, qui s'est glissé ici dans les *Calc. Opp.*

cilis. Scio namque à te maturiùs quàm res exigeret fuisse responsum, nec attendisse quid toto illo capite venaretur Cyrillus. Nec me parùm offendit, quod deinde extra chorum (quod aiunt) saltans ex dialogo de Trinitate tercio attextis, inquit : Quòd vitam et immortalitatem possidet, et à se ipso hoc non habet. omnino mortale erit. Quibus rursus errori tuo nescio an debeam dicere patrocinator : Christum à se ipso esse extorquere contendis, verùm frustra, quandoquidem hoc nunquam sis effecturus. Quis, obsecro, falsum (quid dico falsum?) imò impium, ex vero colliget? At Christum à se ipso esse falsum est : ex vero igitur colligi nequit. Verum autem est quod ex Cyrillo protulisti. Nempe quòd vitam et immortalitatem possidet, et à se ipso hoc non habet. omnino mortale erit. De verbo quidem loquitur Cyrillus, quod vitam naturaliter habet, non per participationem, ut garriebant hæretici, adversùm quos passim bellum adornat. Nec tamen hinc colliges : Filius per se ipsum vita est, id est, naturaliter ac substantialiter, ergo Christus est à se ipso. vita quidem naturaliter filius, sed vita de vita, uti passim Cyrillus inculcat. Hic, *Calvine*, tuum excepturus telum, com[m]entor nihil, quod facilè deprehendes, si ea quæ verbis à te obtrusis in tuæ sententiæ defensionem, attextuntur, adverteris diligentius. Addit quippe post pauca : Quum igitur in medium prodeat et clamet (de filio loquitur) : Ego sum resurrectio et vita, conjectandumne vitam esse ab immortalitate destitutam, vel quo modo? Ad quæ respondet interlocutor Hermias : Non destitutam, absit. Etenim vita est secundùm naturam immortalitas. Deinde colligens : Itaque cum unus Deus pater habeat immortalitatem (sic enim alicubi divinum habet eloquium), quo pacto haberet etiam filius? Sed opinor omnino quòd vocabulum unitatis facilè in utroque ostendat substantialem vitam et insitam immortalitatem, non adventicium bonum.

Tandem verò, quò te adversantem Cyrilli auctoritatibus obrueres, ex decimo Thesauri libro protulisti testimonium : Accipit à patre atque etiam à se ipso quæcunque habet naturaliter ut Deus. Accepit quidem gratuita donatione à patre ut homo, atque à se ipso ut Deus, nomen quod est super omne nomen. Sanè hoc inficiabitur nemo. Verùm hæc quid ad tuam assertionem? Huic sanè sunt præjudicatura, tantùm abest ut quicquam

subsidiū afferant. Proinde tuam non potui non mirari oscitantiam, qua mox penè diversum adjecisti, inquiens : « Dixerat autem statim ab initio libri : Nam si nihil habet filius à se ipso, neque etiam habebit pater à se ipso. » Cum hic tam tibi argutus videaris tuæ assertionis defensor, miror cur ea quæ mox attexuntur non adverteris, quò intelligeres quo sensu hæc protulerit. Sequitur enim Cyrillus et ait : Patris enim sunt omnia quæ filii sunt. Quòd si omnia naturaliter habet pater, ea ipsa filius quoque naturaliter habet. Quare necesse erit consequenter, hunc ipsum defectum quem filio imponere conantur, scilicet quòd vitam naturaliter non habeat, patri quoque imponere, ne quid eorum quæ filii sunt non esse in patre videatur. Id si impium est, ut certè est, necesse erit confiteri omnia patris in filio naturaliter esse, et omnia filii similiter in patre. Nec tamen sequitur : Ergo Christus est à se ipso. Verùm hinc sequitur : Pater habet vitam naturaliter, habet igitur et filius naturaliter, qui tametsi naturaliter habeat, à patre tamen accipit. Pater enim, qui naturaliter vita est, filium vitam naturaliter habentem ab aeterno genuit.

Hæc mea non sunt, sed Cyrilli, qui eodem in loco scribit : Nam dum filius à patre nascitur, omnia naturaliter, ipsum etiam esse, à patre habet, et ideo dicitur à patre accipere. Non igitur quoniam non habet accipere à patre scribitur : habet enim omnia naturaliter, quum verbum et splendor lucis paternæ sit, uno solo excepto quòd pater non est. Accipere autem se à patre dixit, ut futuras hæreticorum opiniones radicitus everteret. Deinde hæc apertiùs insinuans, post pauca subnectit⁵⁶ : Nam quum ex substantia patris prodeat, omnia patris aternaliter habet, aternaliter etiam hæc ratione ex eo accipit omnia quæ ipsius patris sunt. Vitam igitur accipit. Hic vides, si prorsus cæcus non es, vel lemosus totus, quid velit Cyrillus quum inquit : Si nihil habet filius à se ipso, neque etiam habebit pater à se ipso. Si hæc tibi non sunt satis, lege quæ mox appenduntur : tum agnosces quàm oscitanter Cyrillum inspexeris, quem tuæ sententiæ falsò fingis assertorem. Longè quippe discedens à te, diversum sentit quàm putes : quod quisquis, nisi qui levibus argutiis ducitur, facilè intelliget.

⁵⁶ Dans l'édition de Brunswick : *subvertit*.

*Videor igitur abundè satis strophis tuis ex Cyrilli auctoritatibus temerè detortis, respondisse. Proinde hùc finem eram facturus: verùm aliquot argumenta tuæ priori epistolæ³⁷ inserta non siverunt. Quibus fratres nostros sic inescasti, ut à tua sententia divelli non possint. Quos crebrò oravi, ut integra mihi redderetur, sed non exoravi. Hactenus hanc me celarunt. Quod qua ratione factum sit ne quidem intelligo. Tandem verò à fratre nostro Mullotio fragmentum nescio quod precibus extorsi. Sic autem habebat: « Cum Pauli expressa sint verba quòd in Christo habitet omnis plenitudo divinitatis, aliundene an [à] se ipsa sit illa divinitatis plenitudo, nemo est qui neget. » Si tibi cum fungis esset negotium, *Calvine*, forsan hujusmodi argutiarum strophis ludere licuisset. At quando cum his qui aliquando in scholis manum ferulæ subdlexerunt, præceptorumque opera usi sunt, licet tibi eruditione sint impares, negotium sit, miratus sum cur tam parùm appositè ratiocinatus fueris. Deinde cur hanc Pauli sententiam quæ tuo nihil inservit proposito, induxeris, nisi quòd intellexi, te undequaque furtim pro semel asserta opinione venari suffragia. Et mihi videris facere quod rabulæ forenses, qui, dum iniquam causam defendendam susceperunt, ne ab ea excidant, solent leges invertere, easque in susceptæ causæ defensionem, vel reclamante conscientia, sæpe torquere. Non displicet quod citas. Imò citatum veneranter excipimus, tantùm abest ut displiceat. Fatemur quippe in Christo omnem divinitatis plenitudinem manere. Nam omnia semper potest, ut nihil exceptum sit quod non per eum præstari queat, ut faceret ac reformaret, et lapsa erigeret, et mortua vivificaret. Unde ait: Sicut pater habet vitam in semet ipso, sic dedit filio vitam habere in semet ipso. Sicut enim pater suscitavit mortuos et vivificavit, sic et filius quos vult vivificavit. Neque enim pater judicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Quid tam justum nisi ut horum quæ fecit per illum ipsi daret iudicium, ut omnis divinitatis plenitudo habitet in ipso. Per id autem quod diximus, omnem illam potestatem et divinitatis plenu-*

³⁷ La lettre de Calvin aux ministres neuchâtelois du 28 mai 1543, lettre dont *Michel Mulot*, pasteur à St.-Blaise, fut le porteur (VIII, 379, renv. de n. 6). C'est là, pp. 381, 382, qu'on trouve les passages visés par le contradicteur de Calvin.

dinem in se habere, hoc est, Deum esse perfectum (qui enim hæc omnia non habet, non est Deus), num continuò Christum, in quantum Deus, à se ipso esse fatebimur? Minimè. Qui hoc admittant, aliò querendi sunt. Ut verò quod defendendum suscepisti stabilias, ex producta auctoritate ansam nactus, interrogas : « Aliudne an à se ipsa sit illa divinitatis plenitudo? » Tum ad interrogationem, cui una reddenda non erat responsio, respondes : « Nemo est qui neget. » Qua utique responsione te ipsum prodidis, atque quàm parùm sis in disserendo argutus manifestas. Alterum siquidem interrogatum de divinitatis plenitudine asserendum, alterum verò negandum fuerat. Tu verò, quasi oleum nunquam vidisses, adiecisti : Nemo est qui neget.

Deinde, quò aurem eorum qui tuam adversantur sententiam pervelleres, ad[di]disti : « Est tamen in quo aliqui⁸⁸ falluntur, quia non considerant nomen filii dici de persona, ideoque in prædicamento relationis contineri. » Nemo, meo iudicio, nisi Sabellii errore fascinatus, filium de secunda persona in divinis, id est, de verbo, dici negaverit, aut personæ non fuerit assequutus rationem. Cujus generis sunt non pauci, quorum nomina hæc tibi prudens dissimulo. Filius quippe Dei persona est, et persona est filius Dei. Verùm quid hæc ad susceptam causam faciant non video. Non enim sequitur : Filius de persona enuntiat, Christus igitur, quatenus Deus est, à se ipso erit. Quin potiùs sic licebit colligere : Filius Dei de persona genita, ad quam spectat carnis assumptio, dicitur. Ergo Christus, quatenus Deus est, non est à se ipso. Nam Christus, quatenus Deus, secunda in divinis persona est, id est verbum, ratione cujus Christo in duabus naturis personæ nomen convenit, non ratione susceptæ naturæ. Subinde infers : ideoque in prædicamento relationis filium Dei contineri. O insignem dialecticum, qui nobis patrem, filium, spiritum sanctum, Deumque ipsum, tandem totum in categoriarum aristotelicarum coordinationibus, id est, in genere, concludet, quod nemo mentis compos concesserit. Genus quippe prius est secundùm intellectum eo quod in genere continetur, at Deo nihil est prius, nec secundùm rem nec secun-

⁸⁸ *Michel Malot*, en copiant pour Chaponneau un fragment de la lettre précitée (n. 37) avait remplacé *asini isti* (VIII, 381) par *aliqui*.

dum intellectum : manifestum est igitur Deum in nullo genere contineri. Adde quod quicquid in genere continetur, aut simpliciter et proprie, quemadmodum species et quae sub eis continentur, aut per reductionem, uti principia, sicut punctus et unitas, quae ad genus quantitatis ut principia reducuntur, caecitas autem omnisque privatio ad genus sui habitus. At neutro modo Deum patrem, filium ac spiritum sanctum in categoriarum cancellos citra impietatem theologus concluderit. Quod verò per reductionem Deus pater etc. in genere non contineatur, patet, ex eo quod principium quod in aliquod genus reducitur, extra genus illud nequaquam extenditur. Sicut punctus nisi solius quantitatis continuæ principium esse potest, unitas verò discretæ, Deus autem totius esse principium est. Quare per reductionem in genere non erit. Cæterum si plurium deorum possibilitatem nolis admittere, simpliciter ac proprie Deum in genere non es conclusurus.

Fatebor quidem duo in divinis prædicamenta, scilicet substantiam et ad aliquid, id est, aliqua ad se dici, alia verò respectivè : Deum verò, qui absolutè dicitur, aut patrem aut filium qui relativè, in neutro concluderim. Interim autem dum sic ludis, vel ut veriùs dicam luderis, Augustinum citas, quem tuæ sententiæ fingis assertorem, qui in Psalmum 68 scribens interrogat, idemne sit pater quod filius? Ad quam interrogationem, Augustini verba paulò diversiùs quàm habeant proferis. Sic enim habent : Secundum substantiam tibi dixi hoc esse filium quod pater, non secundum id quod dicitur ad aliud, id est, secundum quod relativè dicitur. Hoc enim modo Augustini responsum accipiendum duxerim. Tu verò longè diversam attexuisti responsionem, scilicet, secundum substantiam idem esse, non secundum quod aliud ad aliud. Cum filius ad patrem dicitur, non aliud ad aliud dicitur. Aliud quippe patrem à filio, nec filium aliud à patre dixerit nemo, quandoquidem pater et filius unum sunt, nullamque inter eos nisi hæreticus essentialem (quam tamen aliud denotat) protulerit assignari distinctionem. Non gravaberis, dum per ocium licebit, quid per aliud ad aliud, dum filium ad patrem refers, intellexeris. Hujusmodi locutio admodum mihi aliena visa est, dicendumque alius ad alium putavi. Nempe alius pater, alius filius : non aliud, qui nolit in Arianis-

mun incidere, dicere conveniet. Tum quasi Iopæam³⁹ canens adjungis : « Ista distinctione adhibita, quid ambigui amplius manet ? »

Hoc sanè superest, quòd respondendo nihil respondisti, et probando nihil probatum est, vilique (ut dicitur) lenticulae unguentum immiscuisti. Postremò, quæ ex trigesimo nono tractatu Augustini in Joannem citas, quibus patrem et filium unum esse principium asseverat, neque tuæ neque meæ inserviunt causæ neque incommodant. Nihil sanè habitudinis cum paradoxo pro quo controversamur habent.

Cætera autem quæ tuæ priori epistolæ inserebantur, ubi semel reddito fuerint, diluenda (si Dominus donaverit) curabimus diligentius. Interim autem hæc accipe, atque omnia boni consule, condonaque quicquid in te dictum est amarulentiùs quàm deceat. Hoc enim feci liberiùs, tuo provocatus exemplo. Percurrens quippe tuæ Institutionis locos aliquot, multa tuæ incivilitatis argumenta offendi, quæ ad hoc me moverunt. Vale. Hæc ad te scripsi ut docear.

(*Inscriptio* :) Joanni Calvino, viro cum eruditione tum pietate insigni. Genevæ.

1420

JEAN CALVIN à Guillaume Farel, à Neuchâtel.

De Genève, 13 décembre (1544).

Calvini Epistolæ et Resp. 1575. p. 91. Cal. Opp. XI, 802.

De Carmelita¹ cum ego consultus essem a Vireto, statim quid sentirem respondi : ne amplius fratribus molestus esset. Alia omnia frustra mihi tentari videbantur. Nam ut accerteretur fide publica, neque expedire censebam, nec unquam Bernatibus fuisset persuasum². An tu illis consuleres, ut tam projectæ impudentiæ cani darent maledicendi impunitatem ? Nam si addita

³⁹ Les nouveaux éditeurs de Calvin font cette juste remarque : Lisez *Io pæan*.

¹⁻² Le carme de Lyon, *Paul Christophe de la Rivière* (N° 1411), auquel Berne avait refusé le sauf-conduit qu'il demandait. Calvin répond à la lettre où Farel s'informait de ce carme défroqué (p. 387, renvois de n. 1-5).

aliqua exceptione vellent restringere ejus licentiam, negaret sibi esse tutum. Quinetiam non petit quia venire cupiat. Verùm *si posset obtinere, circumferret huc et illuc, et se jactaret apud imperitos, qui inde conjecturam facerent eum esse aliquem*. Si nosset ejus impudentiam³, statueres etiam procul dubio, magis hinc arcendum esse, quàm fide publica evocandum, ut impune cum magno supercilio Christum blasphemaret. Nam centies victus, sine fronte tamen triumphum canet. Insistere, ut fide publica tutum illi accessum cures, nimis est ridiculum. Quo enim loco talem nebulonem esse putas? Hæc in meis ad *Viretum* literis⁴ et similia longiùs sum prosequutus. Facile autem fuit in meam sententiam eum adducere, cum jam sponte huc propenderet. Fratres etiam omnes libenter assensi sunt.

Cæterùm, *quid Carmelitam moramur, cum nihilo mitiùs se gerat Capunculus vester? Cum hostes tam procul quæris, videris nullos habere domi*. Atqui potiùs hoc contenderem, ut iste insanus aliò abigeretur. Tales si sint hostes professi, non adeò nocent. Nunc verò cum bellum intus gerant, hac laboramus difficultate, quòd illis resistere non possumus, quin concutiat Ecclesia. *Scrpsit ad me nuper epistolam⁵, cujus exemplur brevi, ut spero, ad vos mittetur, unà cum fratrum nostrorum expostulatione⁶: unde intelliges nihilo mitiùs me ab eo provocari quàm a Carmelita*. Verùm *ea epistola nihil ad libellum⁷ quem tandem è manibus emisit, ut me ulcisceretur, quòd non ex ejus sententia vobis consilium dedissem⁸*. Non exponam tibi fusiùs quale sit argumentum et quanta dexteritate tractetur. Tantùm propone tibi *Capunculum* illic loqui: nam tibi jam notus esse debet. Ego certè nunquam credidissem tam insulsum hominem esse, nisi ipse testimonium, et quidem reipsa, de se reddidisset. Si è claustro suo veteri⁹ sic ineptiret, ego suaviter riderem quòd

³ Encore un indice que c'est bien le personnage dont Calvin avait tracé le portrait, le 10 mai 1542 (VIII, 12).

⁴ Lettre perdue.

⁵ Lettre de *Chaponneau* écrite vers la fin de novembre.

⁶ Voyez, au 19 décembre, les plaintes des pasteurs genevois.

⁷ L'épître précédente, justement appelée *libellus*, à cause de sa longueur.

⁸ Lettre du 7 novembre, composée par *Calvin*, et qui approuvait la censure fraternelle usitée à Neuchâtel.

⁹ *Chaponneau* était sorti de l'abbaye de St.-Ambroise, à Bourges.

professi Christi hostes suam stoliditatem pueris quoque ipsis ita proderent. Nunc verò cum cogito, ejusmodi monstra incubare ecclesiae Dei, et quasi in sinu nostro dormire, temperare stomacho meo non possum, quin ebulliat. Quanquam, priusquam aliquid aggrediar, tuum consilium super ea re audire optarim : num expediat querimoniam deferre ad fratres? Certè ejusmodi probra in eo scripto continentur¹⁰, de quibus si jure egero, nemo tam iniquus erit judex, qui non vindicandam publica ignominia talem petulantiam censeat. Utinam daretur colloquendi facultas. Sed quia hoc non est, rescribas mihi quamprimum velim, num censeas expedire, ut ego fratrum literis meas privatim adjungam. Jam communes illae scriptae sunt¹¹. In conventu decrevimus mittendas esse. Ego meas incœpi. Quanquam ego acriter pungo, fratres tamen nihilo sunt blandiores¹². Sic tractandus est ille asinus. Nisi enim bene pungatur, qua est stupiditate, non sentiet. Si tibi non contigerit fidus nuntius, nos tamen prima occasione mittemus. Tuum postea erit consilium, num illo praesente recitari debeant.

Libellus meus de Cœna in Latinam linguam versus est a *Collega nostro Parisino*¹³. *Joannes Girardus eum excudere statuit*. Ego tamen nondum annui. Amabo te, significes, num utile censeas hoc tempore publicari¹⁴. Seis ut prudens nominatus ita

¹⁰ Nouvelle allusion à la courte lettre de *Chaponneau* (p. 385, renv. de n. 6-9)?

¹¹⁻¹² Cette lettre des pasteurs genevois fut composée par *Calvin* et envoyée à Neuchâtel le 19 décembre. On ne possède pas sa protestation personnelle.

¹³⁻¹⁴ Ce collègue était *Nicolas des Gallars* (p. 281, n. 10-11). Sa traduction latine du *Petit traité de la sainte Cène de nostre Seigneur*, parut quelques semaines plus tard, avec une préface datée « Cal. Ianuar. MDXLV, » et dont voici le commencement :

N. Lasius [i. *Nicolaus Gallasius*] piis lectoribus S.

Libellum hunc pietatis et doctrinae plenum ante annos quinque Calvinus scripsit vulgari sermone... (Cf. Cal. Opp. Brunsv. V, Proleg., p. LI.)

Il est possible que l'auteur ait mis la dernière main à cet ouvrage vers la fin de l'année 1539, époque où il était très préoccupé de maintenir la *Concorde* entre les églises de la Suisse et les églises de l'Allemagne (Cf. t. VI, p. 132-137). Mais il nous apprend lui-même qu'il l'avait composé en 1536. On lit, en effet, dans sa lettre à Vitus Theodorus, à Nuremberg, du 17 mars 1546 : « *Libellum... meum de cœna tibi non displicuisse, vehementer gaudeo. Scriptus gallicè fuerat ante annos decem. Cum me in scio à duobus jam in latinam linguam versus foret, permisi tandem ut*

incedam, ne graviter impingam in hanc aut illam partem. Fieri poterit, ut neutris satisfaciat. At causa non erit cur asperius quisquam accipiat quæ scribo.

Omnes nostri reverenter te salutant, *Collegæ, familia nostra et Nicolai*¹⁵, quæ aucta est nuper *fratris mei* filiola. *Bernardinus* quoque. *David noster* scire cupit, num *vetus sodalis* redierit, et quid de conjugio speretur¹⁶. Vale, frater mihi amicissime. Saluta meo nomine fratres et amicos omnes cum tota familia. Genevæ, XIII Decembris. (1544.)

JOANNES CALVINUS tuus.

1421

JEAN CALVIN à Pierre Viret, à Lausanne.

De Genève, 15 décembre 1544.

Autogr. Bibl. Publ. de Genève. Vol. n° 106. Cal. Opp. XI, 804.

S. Non scripsi tibi per *Merlinum*, quòd verebar ne te domi in reditu inveniret¹. Deinde nihil habebam quod tibi scribi,

ederetur, veritus scilicet ne deterior aliqua versio locum occuparet. » (B. F. Hummel. *Epistolarum historico-ecclesiasticarum seculo XVI.. scriptarum semicenturia altera*. Halæ, 1780, in-8°, p. 39.)

On ne connaît, il est vrai, aucun exemplaire d'une édition française de cet ouvrage antérieure à l'année 1541. L'édition princeps de la traduction latine porte le titre suivant : « Libellvs | de Cœna Domini, | a Ioanne Calvino | pridem Gallica lingua scriptus. | Nunc vero in Latinum ser- | monem conuersus. | Genevæ | per Io. Girardvm. 1545. » Petit in-8° de 71 pp. La dernière est en blanc.

¹⁵ *Nicolas de Fer* ou le *Fert*, beau-père d'Antoine Calvin.

¹⁶ Cf. la lettre de Farel à Calvin du 31 mars 1544, p. 195, lig. 1-4, et le N° 1359, lig. 1-3.

¹ *Jean-Reymond Merlin*, surnommé *Monroy*, était natif du bourg de Moirans, situé à 3 l. N.-O. de Grenoble. Nous avons lieu de croire qu'il avait écrit à *Guillaume Farel*, entre 1535 et 1538 (?), pour lui demander s'il pourrait être employé à *Genève*, en qualité d'avocat, ou d'évangéliste ou de professeur. Il ne semble pas qu'il ait obtenu une réponse encourageante, même après que MM. de Berne l'eurent recommandé aux Genevois, le 10 avril 1540 (Manuel du dit jour). Il fut, de 1543 à 1544, pensionné pendant six mois par LL. EE., et employé, dès 1545, comme prédicateur temporaire pour les villages voisins de Lausanne.

meo quidem iudicio, magnopere interesset. Consilio non indigebas. *Bernam*² nihil volebam. Quid inter vicinos nostros, hoc est in *Classe Gaiensi*, actum esset³, putabam ab aliis tibi indicatum. Cæterùm si priores literas, quarum facis mentionem, recepissem, omnino scripturus eram. Sed vide cui eas commiseris : nam mihi non fuerunt redditæ. Interea *Capunculus libellam tandem illum quem ante biennium minitabatur, tanquam fulmen aliquod in me vibravit*. Nihil unquam insulsius vidisti, nec puerilius. Unum tantùm habet virile, quod me atrociter proscindit⁴. Statui, ipso præterito, ad fratres scribere, et de tanta petulantia apud eos graviter expostulare⁵. Talem enim bestiam responso qui dignarer ?

*Quidnam Bernæ impetraveritis*⁶, et quo in statu sit ecclesia, scire expecto. Ex *Germania* nihil hoc toto mense ad me perlatum est. Hic frater, qui meas tibi reddidit, jam ante biennium hic fuerat. Quoniam verò tunc satis inconsideratè se gessit, nunc culpam deprecatur, cupitque hoc totum ita sibi ignosci, ne quid in posterum recordatio sibi noceat. Habet in matrimonio sororem *Franciscæ, puellarum magistræ*, quam seis honestissimam esse mulierem, adeoque ex selectioribus⁷. Ejus quoque soror, quæ huic nupsit, mulier est, quantum intelligo, sorore non indigna. *Cum hic nuper esset Jendronius*⁸, optabat *Lausannæ esse idoneam aliquam matronam quæ ludum aperiret*. Hac de causa, et simul ut videat num qua *istic* ratione possit vivere, hic ad vos proficiscitur. Colloquetur tecum : admonebis ut videbitur.

² et ⁶ Si Calvin était exactement renseigné sur les projets de son correspondant, il faudrait en conclure que deux ou trois lettres de *Viret* sont perdues. Celui-ci paraît s'être rendu à *Berne* en décembre et dans le premier tiers de janvier 1545 (Cf. sa lettre du 7 févr. suivant).

³ La lettre de *Viret* du 7 février 1545 nous apprend qu'il y eut, dans la Classe de *Gex* [déc. 1544], une élection, selon lui, malheureuse : celle de [*Stephanus* ?] *Fontanus*. Cf. la lettre de Calvin du 23 septembre, p. 332.

⁴ Dans la longue lettre de *Chaponneau*, il y a (p. 391 et suiv.) des critiques et des railleries amères, mais non des injures. Ce fut l'accusation d'hérésie qui exaspéra *Calvin*.

⁵ On ne connaît que la lettre officielle des pasteurs genevois du 19 décembre.

⁷ Le nom de famille de cette maîtresse d'école nous est inconnu.

⁸ L'ex-prêtre de Lausanne *François Gindron* (IV, 233, 234 ; VI, 342). C'est par erreur que nous l'avons dit ancien chanoine (VIII, 70).

Cum à me commendationem flagitaret *Antonius, Franciscæ maritus*, ego de ejus levitate et illis actionibus parùm decoris quas memoria tenes, conquestus sum. Ad extremum scripturum me recepi in hunc tantùm finem, ut se tibi reconciliaret. Dixi quod res erat, *te implacabilem non esse* : si recto pede incedat, te illi fore adiutorem, quoad poteris. Vale. mi frater et amice integerrime. Nostri omnes te diligenter salutant, cum familia : quam meo etiam nomine salutabis. Genevæ. 15. Decemb. 1544.

JOANNES CALVINUS tuus.

(*Inscriptio* :) Fideli Domini nostri Jesu Christi ministro, Petro Vireto, Lausanensis ecclesie pastori, fratri et amico chariss.

1422

LE CONSEIL DE BERNE au Conseil de Lausanne.

De Berne, 16 décembre 1544.

Minute orig. Arch. de Berne. Ern. Chavannes. Extraits des Manuaux de Lausanne (1536-1564) p. 101.

Nobles, etc. Nous avons entenduz vostre lectre, datée ix de ce présent moys, faisante mention *des empôs que prétendés mettre sus les estrangiers qui sont venuz habiter en la ville de Lausanne*, etc., et par ces moyens recepvoir en bourgeois, et les laisser jouyr et user de toutes utilités communes. etc. Sur quoy vous respondons et par mode d'ordonance advisons et établissons : Que des estrangiers qui doresnavant viendront pour habiter et faire résidence rière *Lausanne*, et user, jouyr et gaudir des pasquiers, utilités et émoluments comuns, que un chescung d'eulx, s'ilz est par avant nostre soubgeet, doye payer pour l'entraige x florin, et celluy qu'est soubgeet des Lignes¹ xx florin, et ung estrangier xxx florin, — toutteffoys, avant estre receuz, monstrier bones et lectres et seaulx dignes de foy de leur nais[s]ance, s'ilz est procréé de légitime mariage ou bastard, et s'ilz est de libère et non servile ou talliable condition : lesquels

¹ C'est-à-dire, des cantons de la Confédération suisse.

talliables ou de servile condition ne debyés accepter pour habiter rière vous². Item, que ung chescung ayt et monstre testimoniales comme et pour quelles raisons ilz est départy de son pays, et de sa renommée et conversation³, etc. *En ce, roulons estre réservés : les prédicants, les maîtres d'escoles, les professeurs, les escolliers, nous commissaires et tous aultres nous officiers.* Datum XVI Decembris 1544.

L'ADVOYER ET CONSEIL DE BERNE.

1423

BÉAT COMTE à Rodolphe Gualther, à Zurich.

De Lausanne, 18 décembre 1544.

Inédite. Autogr. Coll. Hottinger. Bibl. de la ville de Zurich.

Quæso te, Gualtere suavissime, ut statim ad nos advolare jubeas patrem *Jacobi Kriech*, qui mihi tantum dedit dolorem quantum nunquam pertuli mortibus meorum liberorum, siquidem quantò impensiùs illum amabam ac reddere doctum conabar, tantò tuli acerbiùs sublatum illum esse mihi. Verùm hac de re aliàs tecum agam pluribus, quando ita sum in præsentia perturbatus, ut neque quid agam neque quid aut quo modo scribam attendere possim. Vale, et huc primo quoque die parentem ipsius aut alium aliquem mitte. Hoc mihi solatio est : quòd Christiani estis, et scitis, imò docetis omnia geri à summo Deo circa nos mira quadam ac perpetuò adoranda providentia. Vale. Laus.[annæ] 15 calend. Januar. 1544.

Tuus ex animo

BEATUS COMES DONZARENSIS.

D. *Bullingerum* salvere jubeo, ad quem scribam per eum quem ad me mittes, si Dominus dederit Deus.

(*Inscriptio* :) Doctissimo viro et mihi in paucis charo D. Rod. Galthero, Ecclesie Tigurinae pastori vigilantissimo.

² Les habitants des « bonnes villes » du Pays de Vaud n'étaient pas soumis à la taille. En parlant de cette ancienne province des dues de Savoie, un historien estimé a dit : « Aucune contrée de la domination de ces Princes

1424

LES PASTEURS DE GENÈVE à la Classe de Neuchâtel.

De Genève, 19 décembre 1544.

Mserit orig. Bibl. des pasteurs de Neuchâtel. Cal. Opp. XI. 805.

Charitas Dei et gratia Christi et communicatio spiritus sancti vobis semper angeatur, fratres in Christo dilectissimi.

Quod à fidelibus ecclesiae Dei ministris fieri oportuit, nos in vestra causa nuper à vobis rogati praestitimus: non aliter quàm in nostra fieri euperemus. Deliberavimus enim non semel: et quamvis in promptu responderi posse judicavimus, tamen malimus in conventus nostri diem id differre, ut omnium, si fieri posset, sententia rogaretur. Re iterum proposita, et ultro citroque disceptata ac versata in omnes partes, *nemo fuit omnino qui eam censuræ formam quam ad vos scripsimus¹, ut sanctissimam, non vehementer approbaret.* Hactenus enim ita usi sumus non sine magno fructu: eamque adeò necessariam putamus, ut sine ea diu non possit status Ecclesiae consistere. *Ac vobis idem videri et scripta nostra probari non dubitamus: praeterquam ab uno à quo intelligimus totam hanc tragœdiam commotam esse.* Legimus enim literas quas nuper ad *Calvinum* fratrem nostrum dedit²: quibus proterviae ac temeritatis suæ insigne documentum praebet. Nam *non solùm consilia nostra fastuosè rejicit atque improbat: sed nos etiam aut pro pueris habet, aut Calvinum accu-*

ne renfermoit, dans un aussi petit espace, autant de bonnes villes, autant de gens libres et aussi peu de serfs. » (Nic.-Fréd. de Mulinen. Recherches hist. sur les anciennes assemblées des États du Pays de Vaud. Berne, Décembre 1797, p. 43.)

³ A comparer avec la décision prise, le 25 septembre 1541, par les nobles et bourgeois de la ville de Cossonay, au sujet des « avenaires » (t. VII, p. 288, n. 5).

¹ Voyez la lettre du 7 novembre, qui peut servir à expliquer celle-ci. Les manuscrits originaux de ces deux lettres sont de la belle écriture latine de *Nicolas des Gallars*.

² Allusion à la courte lettre de *Chaponneau* (N° 1417, p. 384).

*sat falsi*³. Eum porrò tam stupido esse ingenio non existimamus, ut putet *Calvinum* suo arbitrio, non omnium nostrum consensu, et voluntate, scripsisse⁴. Ut enim *Farellus* vestro omnium nomine scripsit⁵, sic *Calvinus* nostro et consensu et mandato respondit. Stolidissimi esset hominis, id cujus manifestissimum apud se exemplum videt, in aliis non agnoscere. Quo fit ut perspiciamus nos omnes sub *Calvini* nomine peti et accusari. *Qua* verò *impudentia etiamnum bonus ille vir hiscere audet, nec potius culpam suam agnoscit? Cum ecclesiarum iudicio sese sumiserit*⁶, *audetne adversus eas sic insurgere?* Improbitalis fortè suae à nobis approbationem et confirmationem requirebat. An non intelligebat nos tales esse qui hominum proterviae et insolentiae suffragari nec possimus nec debeamus: sed potius repurgandam talium errorum veneno Ecclesiam iudicemus? An putabat nos assentatores, non Dei ministros esse, ut unius hominis vanitatem sancto Ecclesiae instituto praeferremus?

At claviora Scripturae testimonia desiderat. Quid verò clarius quàm quod de reprehensione Petri et Pauli protulimus, de presbytero coram omnibus arguendo? Nonne haec sunt Scripturae exempla? Si Ecclesiae veteris usum et approbationem requirit, videat quid in synodis provincialibus agebatur. Sed homini obstinato et contumaci nihil omnino satisfacere potest. Imbutum errore ingenium omnia posthabere solet. Ejus pertinacia nunquam eum rectè iudicare sinet, aut intelligere quae necessaria sint in Ecclesia gubernanda. Nonne turpissimum est pastori jam aetate provecto, qui se inter primos haberi vult, non animadvertere quantum fraterna correctio, quae omnibus sine discrimine mandatur, ab ea differat quae pars est ecclesiasticae politicae? Minimè quidem arbitramur ipsum ita ignorantem esse, ut haec non intelligat: sed apertè maliciam hominis reprehensionem ferre nolentis intuemur. *Arrogantiam ejus ac superbiam perspicimus: dum existimat aliquid de sua existimatione deperire, si à fratribus admoneatur.* Quanta verò stultitia

³⁻⁴ Cf. p. 385, renvois de note 6-8, l'accusation qui motivait ce grief des ministres de Genève. *Calvin* le fit valoir avec d'autant plus de vivacité, qu'il avait reçu carte blanche de ses collègues.

⁵ *Farel* avait envoyé à l'église de Genève la circulaire du 28 octobre.

⁶ Cf. le N° 1401, p. 347, renvoi de note 9.

aut potius insania est nolle à fratribus et collegis placidè hortantibus audire, quod postea à vulgo cum summo dedecore et ignominia, nec sine insigni ecclesiae detrimento, audire cogamur.

Videmus hunc ex eorum esse numero qui blandè moniti fiunt deteriores : et in eos qui ipsis bene cupiunt, totis viribus, quasi furore perciti, nituntur irruere. Cum enim ipsum amicè ac fideliter monuissemus ut respiceret, atque essemus conati lenibus eum verbis in viam reducere : non tantum arroganter nos rejicit, et se obstinatorem præbet : sed etiam nos petulanter lacessit, verborumque artificio⁷ ludere ait, quòd firma Scripturæ testimonia non habeamus. *Comparationes Hieronymi in Vigilantium adducit⁸ : ac si contendere potius quàm fidele consilium præbere voluissemus. Qualis verò est hæc hominis importunitas ? An cœtum nostrum rhetorum⁹ aut sophistarum scholam, non ecclesiam Dei putat ? An levis est hæc injuria adversus pastores ecclesiae Dei, ut malam causam verborum lenociniis, tueri et defendere nitantur, potius quàm quod verum est docere ? Non certè ita edocti sumus. Non ita spiritus ille veritatis quo nos regi confidimus nos aberrare sinit. Verùm causa ipsa æquissima satis seipsam tuebatur : nec verborum ornatum aut orationis leporem requirebat. Satis ipsi perspicitis *Calvinum nostrum* non in eo studuisse, ut scriptum illud verbis ornaret. Nec enim simplicius aut nudius scribi potuit, sed ut quàm apertissimè fieri posset, rem omnem patefaceret, distingueret, explicaret. Quod etiam ut faceret, majorem in modum ab eo petieramus. Sed *vester ille bonus vir*, æquissimus fortè eloquentiæ aut facundiæ judex, vult nos aut prorsus barbaros esse, aut turgidis illis verborum ampullis et vocabulis sesquipedalibus uti, quibus scripta sua consarcinare solet.*

Queritur etiam quòd ipsius nomen subticuerimus, nosque ex industria dissimulasse ait. Quasi verò tanta sit fama ipsius ut nobis omnibus possit notus esse : aut non potius cum nonnulli è fratribus illum nossent, parcere tamen ipsius nomini et famæ maluerimus, quàm cum dedecore et ignominia nominare. An ulli unquam sano homini jucundum fuit nominari, cum de

⁷⁻⁸⁻⁹ Allusion à certains passages de la lettre de *Chaponneau*, p. 385. Il avait écrit le mot *Rhetor*, à l'avant-dernière ligne (après *nitteris convellere*), puis il l'avait biffé légèrement, de manière à le laisser très lisible.

errore aut scelere reprehenditur? Nisi fortè hic eorum sit similis, qui cum præclaris facinoribus famam sibi conciliare non possunt, rebus perperam gestis aut flagitiis nomen quærunt. Leniùs profectò et humaniùs quàm indocilem hominem decebat, ipsum tractavimus. Severiore et acerbiorè objurgatione ei opus fuit. Sed ea à vobis proficisci debet. Veremur enim ne nimiùm ei ob senium indulseritis¹⁰; eoque sit insolentior factus. Satis perspectum vobis arbitramur, quò magis tales homines sibi indulgeri vident, eò majores spiritus ducere, et ita animo efferrì, ut tandem sint intolerabiles. Nulla perniciosior in Ecclesia pestis est, quàm superborum ejusmodi hominum qui ita se amant, tantùm sibi indulgent, ut præ se nihili faciant omnes. Volunt eminere, estimari, in præcio haberi. Interim errorum suorum venena spargunt, nova moluntur, ecclesiam Dei conturbant. Utinam, ut optat Paulus, tales abscindantur.

Non dubitamus quin iste multum vobis facessat negotii. Nec ei fidem adhibemus, cum scribit, servata unitate in vinculo pacis (sunt enim ejus verba¹¹) *vos controversari*. Potestne is pacem servare qui ad eò contentiosus est, ut neminem audire velit : solamque opinionem suam omnium et Scripturarum et ecclesiarum auctoritati anteponat? Num animadvertit quid Paulus cum in omnibus Dei servis, tum maximè in pastoribus requirit, ne sint litigiosi? Non sic fortasse illum docuit superba illa et arrogans doctorum schola¹², quæ omnia dissentionibus implet, cælum et terram commovet. Contumaces et fastidiosos illorum mores quibus et suapte natura et disciplina inbutus est non facile deponit. Quod cum ita sit, non possumus aliter de tali homine, quàm arroganti et protervo et de ecclesie perturbatore pernicioso judicare. Quamobrem hæc ad vos scripsimus ut ejus pervicaciam et proterviam retundatis : atque ita reprimatis ut seipsum agnoscere et in viam redire cogatur. Desinat ecclesias lacessere, et intelligat eas plus ipsi sapere quàm ipsum sibi. Ne feces suas ampliùs commoveat : alioqui futurum ut ipse sibi perniciem exitiumque paret. Ne nos ampliùs, quod minatur,

¹⁰ A comparer avec la p. 257.

¹¹ Ces paroles se lisent à la p. 385, renvoi de n. 8.

¹² S'agit-il ici de l'université de *Louvain*, ou de *la Sorbonne* (Cf. la p. 394, lig. 20)?

scriptis suis fatiget. Satis enim ipsum novimus, neque opus est ut abundantius virus suum effundat. Ne *Calvinum nostrum*, majoribus negociis, ut scitis, occupatum sua importunitate avocet aut impediât. Nunc seriò cum hostibus Dei pugnandum, et fortiter obsistendum esse perspiciatis. Videte ne intestinis dissidiis avocemur. Quòd si apud nos talis esset, aut certè mores mutaret aut minimè eum toleraremus. Valetè, fratres in Domino charissimi. Deus vos gratia sua perpetuò tueatur et protegat, donisque suis cumulet : ut vestro ministerio ipsius ecclesia conservetur et in dies augeatur. Genevæ 14. Cal. Januar. 1544.

P. NYNAULT.	NICOLAUS GALLASIUS.
EDMUNDUS MEGRET.	EDMUNDUS CHAMPERELLUS.
SORELLUS ¹³ .	HENRICUS A MARA.
LODOICUS COGNEUS ¹⁴ .	PHILIPPUS AB ECCLESIA.
REGALIS ¹⁵ .	ABEL POUPPIN.
JACOBUS BERNARDUS.	PETRUS SCLUZANUS ¹⁶ .
JOANNES CALVINUS.	MATHEUS GENESTONUS.
	J. FERRON.

N. PETIT¹⁷.

(*Inscriptio* :) Fidelibus Domini nostri Jesu Christi servis qui in comitatu Neocomensi Christum annunciant, fratribus et symmistis charissimis.

¹³ Voyez, sur *Pierre Nynault*, la p. 299, note 5. — *Edmond* ou *Aimé Mégret*, natif d'Auxerre, exerçait le saint ministère à *Moëns*, possession genevoise, enclavée dans le Pays de Gex. — Contrairement à ce que nous avons dit, p. 162, cette signature ne semble pas être celle de *Jacques Sorel*. L'initiale qui précède le nom de famille est plutôt un *G* qu'un *I*.

¹⁴ *Louis Cougnie*, pasteur à Russin.

¹⁵ *Jean Rey* ou *Régis*, pasteur à Draillans, au S.-O. de Thonon (Cf., dans les *Epp. et Resp.*, p. 367, la lettre de Calvin du 2 juin 1545).

¹⁶ *Pierre de l'Escluse*, de Paris, pasteur à Neideus, territoire genevois enclavé dans le bailliage de Ternier et Gaillard.

¹⁷ *Nicolas Petit*. Nous ignorons la date de son admission dans le clergé. Il fut d'abord pasteur à Genève, en 1544, puis, la même année, pasteur à Chancy (Cf. Archinard, *Genève ecclésiastique*, 1861). Pour les autres signataires, cf. l'Index des noms.

1425

GUILLAUME FAREL à Henri Bullinger, à Zurich.

De Neuchâtel, 20 décembre 1544.

Autographe. Bibl. de la ville de Zurich. Cal. Opp. XI, 809.

S. *Nuper ad Megandrum scribebam*¹, ut pro conservanda hęc inter fratres disciplina nobis adesset istius ecclesie suffragio, cujus autoritas non parva nobis est, et quod bene crexit multo labore non pateretur ruere². Scio enim quàm difficile fuerit statuere aliquem ordinem, ut confusio et turbatus conventus non esset pro sancto conventu, fierentque omnia debite. Displacuit nonnullis, qui tantum proprio ferri volebant arbitrio, aliquid statui quo in ordinem cogerentur, et multo magis usus eorum quę statuta fuerant, ut *Megander* coram vidit, sed, ut par erat, noluit ob reclamantes impediri quod bonum erat. Cuniculis tentatum est ut abrogarentur quę faciebant ad aedificationem ecclesie³. *Introducti fuerunt aliqui in ministerium indebite, et aliquamdiu per malos adjuti hęserunt, non sine damno ecclesiarum. Sed tandem propitio Christo turpiter ejecti fuerunt quàm intraverint*⁴. Ambitione conati sunt alii occupare ecclesias. Vix crederet aliquis tanta potuisse excogitari et ten-

¹ Allusion à une lettre perdue.

² On manque de renseignements précis sur les services que *Gaspard Megander*, jadis pasteur à Berne, avait rendus à l'Église neuchâteloise. Mais l'on ne risque pas de se tromper en disant qu'ils devinrent très opportuns pendant les années 1534 à 1538, où *Farel*, occupé à Genève, ne put que rarement visiter *Neuchâtel*. Nous avons vu que *Megander* contribua par sa présence au synode général des églises romandes, le 29 mai 1534, à faire voter des ordonnances ecclésiastiques qui complétaient celles que Neuchâtel avait acceptées en 1533 (Cf. le t. III, p. 187, 218, 288. — Ruchat, éd. Vulliemin, II, 520).

³ Lorsque *Farel*, banni de Genève, reprit ses fonctions à *Neuchâtel*, il trouva l'Église de cette ville dans un état très affligeant. Aussi écrivait-il à Calvin, au mois d'août 1538 : « Hęc omnia sunt erigenda : nihil prorsus est non dissipatum » (V, 82).

⁴ Voici les noms de ces pasteurs expulsés : *Claude d'Aliod*, *Claude de Glantinis*, *Alexandre le Bel* (Cf. les Indices des t. V, VI).

tari ut pateret ostium ecclesiae suae malis. Sed hinc quoque Christus nobis adfuit. Demum alia et alia conantibus id visum est facilius si, correctione sublata et admonitione sopita, qui continentur in officio et veluti unum pergunt corpus, moribus ac vita, imò doctrina etiam dissidentes, dissiparentur. Quare *unus è nostro cœtu contradicere cœpit*⁵: *utinam tam vehemens et tanto studio ferretur in vitia damuanda et eradicanda, quàm est in bona re nobis, si possit, auferenda : quam omnes servant classes gallicæ, ut fratres omnes corripiantur, si quid peccarint in tam sacra functione, si quid egerint in ruinam ecclesiae et detrimentum Verbi.* Hic *noster adversarius*, nullo facto inter eum qui personam gerit publicam et privatum discrimine, inter secretum et apertum peccatum, inter unius et multorum ruinam, non sine multorum damno nobis reluctatur, et dum malè Scripturam torquet, non tantùm nobis, verùm etiam Apostolis, imò ipsi quoque Christo est injurius, dum nullam patitur correctionem piam esse nisi secretam. Nulla officii, nulla ætatis, nulla potestatis, nulla ruinae aut ædificationis hinc habebitur ratio, sed tantùm personæ, quasi in admonendo ministro non potiùs ecclesiae quàm ministri ratio habeatur, et non magis ecclesiae ædificatio quàm unius curetur. Sed ita oportet ejusmodi ingenia ferri, quæ non ecclesiis, sed personis, volunt prospicere. Siquidem hoc videtur tantùm : vivet ille istic commodè, amicus est, fiat ergo.

Existimo Megandrum, qui novit eos intus et in cute viros, qui gravatè jugum pontificium tulerunt et jam videbantur supra leges omnes esse assecuti, *cum nomine cellas illas charitatis*⁶ *tibi et collegis indicasse, si reddite isti fuerint literæ. Quod si non factum fuerit, dispicite, quæso, cum symmystis quid secundùm Christum judicaveritis agendum.* Et cum multa isti debeamus ecclesiae, quo tamen officio non adjuti sumus à vobis? Hoc addetis propter Christum, qui, ut causa fuit initii omnium officiorum et perdurare fecit nos hactenus, ita efficiet ut nos memores grati vobis exoptemus ac precemur semper optima. Et

⁵ *Jean Chaponneau.*

⁶ Farel n'use guère de Pironie, si ce n'est en parlant des mauvais pasteurs. On ignore qui étaient ceux qu'il qualifie ici de sanctuaires, de « chapelles de l'amour chrétien. »

quamvis in referendo pares nunquam esse possimus, tamen, ut Christus novit, de tanta ecclesia bene mereri cupimus, cum tam bene, imò quàm optimè de nobis semper merita sit. Hoc composito, pacem speramus nos habituros, in qua nos servet is qui pax nostra est, et inter nos et cum omnibus, in omnium aedificationem et Evangelii progressum.

Vale, mi *Bullingere* doctissime, et tecum omnes qui ministrant in Verbo et qui literis præsunt. Neocomi, 20 Decembris 1544.

FARELLUS tuus totus.

1426

CLAUDE VÉRON¹ au Conseil de Berne.

De Compesières, 24 décembre (1544).

Inédite en partie². Autographe. Arch. du canton de Vaud.

Magnifiques, puissans et très redoubtez Seigneurs.

Nous avons esté informez de certain pourchas faict par Messieurs du *Parlement de Chambéry*, à l'instance de Mons^r. le Procureur général, contre *Pierre Faure*, natif d'*Erben*³ au duché de *Savoie*, à ce et pour ceste fin que par Voz Magnificences soit permys ès commissayres du diet Parlement de transporter hors vostre seigneurie et juridiction le diet *Faure*, détenu en voz prisons pour cas civil, à l'instance du diet Procureur général. Parquoy ayans entendu que le diet captif n'est poinct atteinet ny convaincu d'auleun villain cas méritant supplice extresme, — d'autre part consydérans que si, par vostre permission, il est rendu ès prisons du diet Parlement, la peyne de mort pour-

¹ *Claude Véron* était déjà pasteur en 1542 dans la Suisse romande. Il servit d'abord l'église de Genève; mais ayant été congédié en 1541 par les magistrats de cette ville, il entra au service de MM. de Berne (Cf. la p. 19, n. 19, le t. VIII, p. 207, et la lettre de Calvin du 25 avril 1545).

² Quelques passages de cette lettre sont cités dans l'ouvrage de Théodore Claparède intitulé : *Hist. de la Réformation en Savoie*. Genève, A. Cherbuliez, 1893, p. 164.

³ Probablement *Arbin*, village situé au N.-E. de la ville de Montmélian.

royt ensuivyr, en tant qu'il s'est retyré soubz vostre chrestienne réformation, et en icelle a espouzé femme : à rayson de quoy sera atteinet par les dictz juges du crime qu'ilz appellent *hérésie*⁴, joinct que, comme nous sommes informez de nostre frère *Françoys Gaillet*, prédicant de *Cholex*⁵ au Mandement de Gaillard, le dict vostre captif a esté poursuiivy, long temps a⁶, pour la cause de religion et singulièrement l'an passé pour la mesme cause fut détenu prisonnyer en son Archevesché de *Lyon*⁷: qui luy pourroyt tomber en grand préjudice, — Vous supplions très humblement qu'il ne soit aliéné de vostre juridiction : ains que si les dictz instans ont juste droict d'action à l'encontre de luy, la cause soyt vuydée en voz terres, et que par Voz Seignouries peyne luy soit adjudgée selon le démerite du cas, et ce à celle fin, que ne soyez estimez consentans à la peyne qu'il pourroyt souffrir à cause de la Religion Chrestienne, s'il tomboyt ès mains des dictz poursuyvans.

A tant, Seigneurs très chrestiens, nous submettans tousjours à vostre obeyssance, prions le Prince Souverain qu'il vous maintienne et accroisse en bonne prospérité. De Compezières⁸, ce 24 de Décembre (1544⁹).

Voz humbles subjectz prédicans
 ès Mandemens de Ternyer et Gaillard.
 C. VÉRON, ministre de Compezières,
 au nom que dessus.

(*Suscription* :) A noz Magnifiques, puissans et très redoubtez Seigneurs Advoyer et Conseil de Berne. A Berne.

⁴ Voyez Théod. Claparède, o. c., p. 154-161.

⁵ *François Gaillet*, pasteur à *Cholex* (aujourd'hui *Choulex*) village du Chablais, avait, quelques années auparavant, prêché l'Évangile à *Crassier*, dans le Pays de Vaud.

⁶ C'est-à-dire, il y a longtemps. On lit dans l'ouvrage de Th. Claparède : « a esté *poursuiivy longtemps*, » ce qui amène un sens différent.

⁷ Ce détail et la qualification de *messire* donnée au prisonnier (n. 9), permettent de croire que celui-ci, avant sa fuite de France, était homme d'Église.

⁸ Hameau de la commune de Bardonnex, situé à 1 1/2 l. au sud de Genève.

⁹ Le millésime est déterminé par la lettre des Bernois « aux seigneurs tenants la Cour de parlement de Savoye » datée : « le pénultième jour de

1427

OSWALD MYCONIUS à Guillaume Farel, à Neuchâtel.

De Bâle, 23 et 26 décembre 1544.

Inédite en partie¹. Autogr. Bibl. des pasteurs de Neuchâtel.
Cal. Opp. XI. 811².

S. *Satis foret responsum a Calvino et Argentinensibus³ ad controversiam quæ movetur à fratre quodam apud vos, quàm par est inquietiore, nisi tu tantopere urgeres ut, præter responsum aliàs datum⁴, adhuc responderemus clariùs.* Liceat verum dicere. Commovit hoc verbi, quod probat turbatori non satisfactum, nonnihil fratres meos : imò in tantum movit, ut jusserrint me nihil aliud scribere quàm : Si nequeat esse contentus bona consuetudine quam usurpemus in ecclesia nostra, acceptam a D. *Oecolampadio*, viro doctissimo atque piissimo, valeat ! Non enim competere ut cujusvis duricie, præsertim in negociis pietatis, occurratur pro voto. Nam scriptum esse : Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanam feriente desuper pilo, non au-

Décembre, l'an prins à la nativité nostre Seigneur, 1545, » — ce qui veut dire : le 30 décembre 1544, d'après notre manière de compter.

MM. de Berne, dans cette lettre, offrent de punir « selon ses démérites... un nommé *messire Pierre Faure*, détenuz en noz prisons de Ternier. » Mais ils refusent, en vertu de leurs us et coutumes, de le livrer à la susdite Cour. Nouvelle lettre des Bernois, à ce sujet, datée du 19 janvier 1545 (Minutes orig. Arch. de Berne).

¹ Voyez la note 30.

² Il y a deux rédactions autographes de la présente lettre. La première, datée du 21 décembre, se trouve dans la collection Hottinger à la bibliothèque de Zurich. C'est le texte que les nouveaux éditeurs de Calvin ont reproduit, parce qu'ils le croyaient identique à celui de l'exemplaire de Neuchâtel. Nous relèverons les principales variantes de la première rédaction, sans indiquer les changements que *Myconius* a fait subir, dans la seconde, à l'ordre des mots.

³ *Myconius* ayant reçu une copie de la lettre de Calvin du 7 novembre, l'avait envoyée à *Strasbourg* (N° 1407, n. 1), et il croyait, avec raison, que les pasteurs strasbourgeois répondraient aux questions posées par l'Église de Neuchâtel.

⁴ et ⁵ Lettre perdue.

feretur ab eo stulticia ejus⁵. Adjecerunt : Si absque motu graviore fieri possit, excommunicandum esse, ut qui resistendo palàm doceat, non se aptum esse promulgando Evangelio. *Hæc est sententia fratrum. Quæ sequuntur mea sunt*⁶: *quæ causa est cur ad te, non ad fratres, scribam*⁷.

Morem nostrum in prosynodis et synodis explicatum satis, epistola nuper missa⁸, planè puto : quamvis in prosynodis feramur liberiùs, eo quòd in synodis Deputati laici de Senatu, Præfecti quoque rurales adsunt : coram quibus non omnia fratrum vitia sunt exponenda, nisi pertinacia privatim monitorum cogeret. Liberè dico : Displicuit ante aliquot annos prosynodorum mos mihi propter hanc causam, quòd videbatur minùs fraternus, ut cui locus non erat per totum annum, nisi mox ante synodum. Interim autem vel doctrinæ scandalon, vel peccatum, aut saltem rumor peccati promanare ad ecclesiam totam et ad vicinas ecclesias poterat, non absque gravi jactura Evangelii. Sic igitur agendum mihi videbatur, ut cum primùm sinistri aliquid rumoris de fratre, quisquis ille tandem, ex[s]urgeret, frater qui istud audisset, in aurem protinus monendo insurraret ei de quo rumor esset : non quidem ob aliud, nisi ut idem mox in exortu periret, nec deveniret ad laicos. Admonitioni si reus daret locum, efficiens ut evanesceret quicquid fuisset ex[s]uscitatum, sive verum, sive falsum, bene quidem. Si non daret locum, ut tum coram fratribus accusaretur et emendaretur. Quòd si ad hunc modum tractatus inveniretur contemptor, tunc tandem sisteretur toti Synodo et corriperetur, minis additis, si nihil acta forent profutura, excommunicandum esse. Hic quia cavere tentabam ne evangelica doctrina malè ob presides ejus audiret, existimabam non aberrare me. Veruntamen ubi fratribus consuetudo vetus accepta ab *Oecolampadio* magis placebat, equidem facilè cedebam, ut cujus non est aliquid tentare contra collegas⁹. Atque ita manet adhuc institutum fraternæ censuræ vetustius. *Ad fratres redeo*¹⁰. Intra synodos autem, dum [ali]quid accidit

⁵ Proverbes de Salomon, XXVII, 22.

⁶ Dans l'exemplaire de Zurich : *Quæ sequuntur ergo, mea sunt*.

⁷ Ces dix derniers mots ne sont pas dans l'exemplaire de Zurich.

⁸ La première rédaction ajoute : *nisi compellar a Domino*.

¹⁰ Ces trois mots n'existent que dans l'exemplaire de Neuchâtel.

censura propiorum dignum, sic agere solemus. Convenimus parochi, praesertim si ex parochis est qui aliquid designavit, aut contra morem, aut contra honestatem : et deliberatione habita¹¹, proponit unus aliquis è nobis quod ad aures nostras pervenit, rogatque res ita se habeat, annon ? Si respondet non ita habere, atque id rationabiliter persuadet, monemus ut speciem caveat mali, unde suspicio et rumor sint exorta. Sinè compertum ex ore fuerit accusati, non sine causa rumorem ex[s]uscitatum, corripiamus amicè et obsecramus desistat in posterum, ne nomen Dei malè propter ipsum audiat. Si gerat morem, inquam, pro fratre simus agniture. Si non gerat, pro nebulone, membro putrido et à corpore Domini amputando. Ut agamus ad hunc modum, Paulinum illud in causa est : « Omnia ad aedificationem fiant. » Et paulò post : « Omnia decenter et secundum ordinem fiant. » Nam haec si fuerint diligenter observata, potestatem habent episcopi traditiones in Ecclesia faciendi, quae pertinent ad bonos mores et pietati non sunt contrariae.

Atqui rogabit forsitan ille vester adversarius : Curram hic non potius utamur instituto Domini quod est Matth. 18 ? Breviter respondeo : Quod Christus tradidit generale est, ad Ecclesiam totam pertinens. Quo nos utimur speciale est, ad ministros solos spectans, quorum conversatio talis esse debet, ut vel specie careat mali. Quamobrem in tempore dum est occurrendum ad rumores peccatorum, ne dicam ad peccata, non est tandiu commivendum, ut ad flagitia reliquorum : et id quidem, ne doctrina contaminetur aliquo modo. In ratione Domini praeterea censores adhibentur laici. Quantò igitur melius sit ut fratres inter se invicem corrigant, illis non adhibitis, quis nescit ? Et veluti praevenerimus speciali hac correctione, aut saltem praevenerire studemus¹², formam Domini praescriptam, ne quis publicè sit denunciandus qui aliquando praefuit¹³ evangelio Christi. — Pauli exemplum rectè *Calvinus* adaptat in reprehensione Petri : qui quidem, dum esset reprehensibilis, coram omnibus reprehendebatur, statim ut Petrus id fuerat commeritus. Quod Paulus igitur¹⁴, annon licebit etiam in ecclesia nobis, si idem cum eo

¹¹ Exemplaire de Zurich : deliberatione aliqua.

¹² Ibidem : praevenerire studium est.

¹³ Ibidem : ne quando publice sit denunciandus qui praefuit Evangelio.

finis fuerit propositus : cavendi scilicet periculum ? Hic autem munit nos Paulus, ne quis dicat : Num Christo velimus esse prudentiores ? postquam corripendo Petrum, ad eum magnum apostolum, de Christi mandato ne cogitat quidem. Puto nihil hic habere *vestrum illum* quod possit objicere, præter pertinaciam, qua tamen, si voluerit uti pertinaciter¹⁵, coram Domino loquimur¹⁶ non esse dignum qui frater adpelletur.

Ad *objectiones*¹⁷ postquam *Calvinus* respondit satis, nescimus¹⁸ si opus sit ut aliquid adjiciamus¹⁹. Quanquam interim est quod tam exactè non rimamur²⁰ ut fecit *Calvinus*, vir naris emunctissimæ. *Articulus* enim *primus*, ubi dicit : Correctionem fraternam actum esse charitatis, si positus est ut generalis, non est ut contradicamus²¹. Ut enim fratrem, id est Christianum, dehortemur à malo et adhortemur ad bonum, nihil est quod verè nos ex[s]timulet, si charitatem exceperis. Atque ita, quæ sequuntur etiam, negare non possumus : correctionem illam esse præceptum Dei, atque melius esse corrigere fratrem, quàm vel cibare, vel vestire. Quod si præceptum est, constat quod neminem non obligat.

Articulus secundus præteritur a *Calvino*, sicut etiam à nobis præteriri posset : nam ingenuè fatemur ignorare nos ejus Dialecticem. Contrarium dicere possemus²² : Adfirmativum est, igitur pro omni tempore obligat : id est, quotiescunque frater opus habuerit correctione²³.

Articulus tertium ex proximo infert : quo negato, et illatio-

¹⁴ Ibid. : Quod Paulus igitur *fecit*.

¹⁵ Ce *pernaciter* ne figure que dans la seconde rédaction.

¹⁶ Ex. de Zurich : coram Domino *dico*.

¹⁷ Ibidem : *objectionem ejus*. ¹⁸ Ibid. *nescio*. ¹⁹ Ibid. *adjiciam*.

²⁰ Ibid. : quod non tam exacte *rimor* ut fecit Calvinus.

²¹ Ibid. : non *habeo quod contradicam*. — La substitution de la 1^{re} personne du pluriel à la 1^{re} du singulier, dans cette partie de la lettre, ne pourrait-elle pas s'expliquer de la manière suivante ? Les pasteurs de Bâle, après avoir lu la lettre de *Myconius* du 21 déc., lui auraient dit : Elle rend bien notre pensée. Faites-en donc une copie et envoyez-la à Farel, en notre nom. *Myconius* se serait vu ainsi autorisé à écrire, au-dessous de sa signature : « *fratrum Basiliensium nomine*, » indication qui n'existe pas dans la lettre du 21 décembre.

²² Exemplaire de Zurich : Contrarium *ego dicerem*.

²³ Ibid. La phrase finit sans le mot *correctione*.

nem²⁴ falsam esse palàm est. Errat autem in fine correctionis fraternæ statuendo, sicut *Calvinus* adserit. Nam non solùm fratris emendatio, sed etiam ecclesiæ quæritur utilitas, nempe ne scandalum à fratre, cujus peccatum adhuc latet, ponatur. Vel si palàm est peccatum, ut eadem gaudeat de correcto et emendato, et inde magis etiam sibi caveat in posterum.

De *articulo quarto* satis *Calvinus*, et nos paulò antè sententiam nostram exposuimus²⁵.

Articulus quintus de peccato fratris notorio, videtur planè positus inconsyderatiùs, ne quid dicam aliud. Quis enim de correctione sic audivit unquam, ut videlicet quis admoneatur ob peccatum jam cognitum? Annon Paulus scribit: Si quis, cum frater adpelletur, fuerit scortator aut avarus etc., cum ejusmodi ne cibum quidem capiatis? Quamobrem in hac sententia semper fuimus²⁶: Peccata notoria excommunicanda esse. Et nisi Magistratus sua pœna vel multa nos interdum preveniret, jus Ecclesiæ prosequeremur. Verùm pœna irrogata non vult, ut duabus, quod dicitur, virgis aliquis cædatur. Quamvis interim multatus, si voluerit ad Cœnam admitti, cogatur cum Ecclesia reconciliari.

In *ultimo articulo* vir ille, oblitus ejus quod nemo Christianus nescit, non scribit prudenter. Videtur enim ignorare velle, unum corpus, unam sanctam ecclesiam esse catholicam. Quòd si verò particulares ecclesiæ multæ sunt, communio tamen est sanctorum. Hinc frater denunciatus in una ecclesia particulari, denunciatus est in tota universali. Quid igitur velit, non satis compertum est.

Hæc sunt quæ, quanta potuimus brevitate, ad petita respondemus²⁷. Aliorum scripta, ut sunt copiosiora, ita et doctiora²⁸ et efficaciora, et nimirum utilitatis majoris. Nos damus quæ possumus: tu boni consulas. Vale cum fratribus piis omnibus²⁹. Basileæ. 23. Decembr. anno 1544.

Os: MYCONIUS
fratrum Basiliensium nomine³⁰.

²⁴ Ibid.: *illatam* falsam esse.

²⁵ Ibid.: *sententiam meam exposui*. C'est encore une allusion à la lettre de Myconius qui est perdue (renv. de n. 4, 8).

²⁶ Dans la première rédaction: Quamobrem *ego cum fratribus* in hac sententia semper fuimus.

IDEM. *Dum hæc scribo, significat Sultzerus, tragœdiam Bernensem esse pacatam* ita ut omnia melius quàm pro opinione ceciderint³¹. *Tragœdia nova quæ est exorta inter Lutherum et Tigurinos*, eripiet aliquando nobis Evangelium, nisi magno miraculo Dominus præpediat. Mancamus in statione commissa, et Dominus erit nobiscum. Si scandalum non esset, equidem propter contentionem manum non verterem : novi enim cui crediderim : is me servet rogo in finem. Vale iterum, et Dominum pro me mutuiter orato.

Priùs quàm clausurim has, *venit à te epistolium quartum*³², propter quod addenda hæc. De *Concilio Tridentino*, ne verbum quidem audio³³. Putat *Bucerus* in Comitiiis³⁴ de religione nihil actum iri. Nostri nihil postulabunt : adversarii manibus et pedibus obsistunt ne quid agatur. Divinato quid hæc sibi velint. *De vestra causa, ex Argentina* nihil ad me scribitur. A *Tigurinis* nihil spero quod ad me mittatur : odio prosequuntur enim, quòd persuasi sunt me favere *Bucero* atque adeò *Luthero*, quàm ipsis magis³⁵. Interim tamen ego quæ commisistis ad illos dimisi, et literas *Calvini* egomet descripsi, unà cum articulis adversarii vestri³⁶. Audio *Lutherum* a *Cæsare* vocatum ad Comitiam³⁷ : contra id quod modò scripsi de *Buc.[ero]*, puto fabulam esse³⁸. Dominus vos juvet. Vale tertio. Ipsa die *Stephani*³⁹.

(*Inscriptio* :) D. Gulielmo Farello, pio et docto ministro Ecclesie Neocomensis, fratri in Domino venerando suo.

²⁷ Ibid. : quæ quanta *potui* brevitate ad petita *rescribo*.

²⁸ Ibidem : *elegantiora*.

²⁹ Ces deux derniers mots sont absents de la première rédaction, qui est datée : « Basileæ Thomæ a. 1544. » Les nouveaux éditeurs de Calvin disent en note (p. 814) : « 21. Dec., non 23 ut legitur apud Kirchhoferum, Farel, II, 76. » — Kirchhofer (Farel's Leben) ayant suivi le manuscrit de Neuchâtel, a été très exact en adoptant la date du 23 décembre.

³⁰ Ces trois derniers mots, la signature et l'adresse manquent dans l'exemplaire de Zurich. Le texte des *Calc. Opp.* se termine par la date 1544. La page qui suit, dans le manuscrit de Neuchâtel, est donc inédite.

³¹ Cf. la lettre de Sultzer du 7 novembre, p. 358, et celle de Viret du 7 février 1545.

³² Nous ne connaissons aucun de ces quatre billets de *Farel*.

³³ Le 19 novembre précédent, le pape Paul III avait publié une bulle qui convoquait le Concile à *Trente* pour le 15 mars 1545.

³⁴ La prochaine diète de Worms.

1428

JEAN CALVIN à Pierre Viret, à Lausanne.

(De Genève) 25 décembre (1544).

Autogr. Bibl. Publ. de Genève. Vol. n° 106. Cal. Opp. XI, 814.

Promiserat quidem *Christophorus*, hinc se die lunæ proximè elapso futurum¹. Nescio quid obstiterit quominus veniret. Adhuc eum expecto. Ubi venerit, audiam ex eo quæ mihi ab eo narrari maluisti, quàm ipse scribere. Ubi audiero, si operæprecium videbitur, ad te scribam. Quanquam alioqui omnino scripturus sum, vel hac una causa, ut fratrum nomine vobis de *Stephano*² respondeam. Simul mittam *libellum Capunculi*³ unà cum literis⁴, ut *Neocomum* vel ipse in reditu⁵ perferas, vel per alium mittendas cures. Verùm audito *Christophoro*, si quid erit cujus te admonendum censuerimus, faciam in tempore. Vale. mi frater et amice integerrime. *De nuptiis Comitum* rumor huc manavit. nescio an falsus, certè mihi bonisque parùm jucundus⁶. Cupio

¹ A comparer avec la p. 245, note 16.

² Myconius avait copié et envoyé à Strasbourg la lettre de Calvin du 7 nov. et les six articles ou thèses de Chaponneau (p. 349-350).

³ Il est à peine nécessaire de dire que c'était une fausse rumeur.

⁴ On ignore l'objet de cette allusion.

⁵ La fête de saint Étienne martyr se célèbre le 26 décembre. Myconius, ayant achevé sa lettre le 23, dut probablement attendre jusqu'au 26 pour trouver un messager sûr.

⁶ *Christophe Fabri* avait promis à Calvin d'être présent à Genève le lundi 22 décembre.

² Il s'agit sans doute ici du *Stephanus* mentionné par Calvin dans sa lettre du 23 septembre (p. 332, note 4).

³⁻⁴⁻⁵ La longue dissertation de Chaponneau, sa lettre de la fin de novembre, et celle des pasteurs de Genève du 19 décembre (N°s 1419, 1417, 1424). Viret était prié de remettre ces trois manuscrits à ses collègues de Neuchâtel, en revenant de Berne.

⁶ La première femme de *Béat Comte* était morte dans la nuit du 3 au 4 août 1544. Il se remaria le 15 février 1545. Ces détails fixent le millésime de la présente lettre.

436 LES PASTEURS DE STRASBOURG AUX PASTEURS DE NEUCHÂTEL. 1544
equidem vanum esse. Saluta fratres diligenter, et tuam familiam. 25. Decemb. (1544).

JOANNES CALVINUS tuus.

(*Inscriptio* :) Petro Vireto, Lausanensis ecclesiae fido pastori, fratri et amico integerrimo.

1429

LES PASTEURS DE STRASBOURG aux Pasteurs de Neuchâtel.

De Strasbourg, 29 décembre 1544.

Mscrit orig. Bibl. des pasteurs de Neuchâtel. Cal. Opp. XI, 815.

Gratiam et pacem a Domino, observandissimi et charissimi fratres. *Quaquam nostro vos responso opus non habeatis, tamen cum debeamus vobis omnia, hoc rogati detrectare officium indignum nostra mutua charitate existimavimus. Morem instaurandi et confirmandi cum studium collegarum in sacro munere, tum etiam existimationem eorum apud ecclesias, de quo inter vos disputatis, vidimus observari, etiam apud alia quàm ministrorum ecclesiae collegia, Tiguri, Bernae et aliquot aliis in ecclesiis in synodis.* Fatemur sanè ea, quibus is frater qui morem hunc non probat, moveri videtur, facilè incidere posse, si non sincera obtineat regatque omnia charitas. Facilè enim vel excludentur à fraterna admonitione erga ministros qui ex plebe ad eam rem idonei sunt, et cleri ordo à laica communione nimum alienabitur, vel imperitiores ex ministris ad contumeliam, vel etiam calumniam, abutentur hac judicandi reprehendendique licentia, et quod institutum est ad sacri ministerii instaurationem valebit ad ejus destructionem. Atque ideo Satanae, ne vel alterutra vel utraque via irrepit, diligenter providendum est. Attamen *dum omnia coram Domino, quanta possumus diligentia, omni personarum respectu secluso, consideramus et expendimus, non possumus non probare morem illum, fratres sacro ministerio deputatos ita subinde probandi perficiendique*¹.

¹ Dans l'édition de Brunswick : *perficiendique*. Nous y avons noté quelques variantes.

Verbum Domini quod huc nos deducit, est id quod requirit religiosè probare qui administrandis ecclesiis debent præfici, esseque ipsos inculpatos et bonis testimoniis ab omnibus commendatos, esse in omni pietate exempla gregis, atque in his ita proficere quotidie, ut progressus eorum manifestus fiat omnibus. Attende, inquit apostolus, lectioni, exhortationi, doctrinæ : ne negligas donum quod datum tibi est per prophetias cum impositione manuum presbyterii. Hæc cura, in his esto, ut progressus tuus manifestus fiat omnibus. Jam certum est, studium hoc admonitione fratrum et collegarum in sacra functione excitari multum posse, et fratres singulos hoc sibi officium charitatis invicem debere, quod Paulus præstitit discipulis et collegis suis, Timotheo, Tito et aliis, de quibus sollicitus fuit, ut proficerent, in quos inquisivit, quos etiam exploravit. Ad Corinthios misit Timotheum et Titum, ut cognoscerent et emendarent si quid vitii obrepisset, et urgerent pietatis officia in quibus illos deprehendissent cessare. Ipse de suo adventu Corinthiis scribens, Veniam, inquit, citò, si Dominus velit, et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Unde verò id² cogniturus erat? Indubie eo quo[d] animadversurus erat in tales virtute spiritus sancti aliquanto severiùs, at non nisi in convictos inflationis suæ. De his verò cum delationem à familia Chloës absens admisisset, quis dubitet etiam præsentem postea in eos inquisivisse? Precabatur idem apostolus a Domino ut videret faciem Thessalonicensium, quò suppleret ὑστερήματα πίστεως αὐτῶν, quæ deerant fidei illorum : orabat ipsis augescentem et redundantem charitatem, ut et ipsi sua invicem et omnium corda confirmarent, quò essent irreprehensibiles in sanctitate coram Deo. Eadem de causa miserat ad eos Timotheum, hocque officii illis coràm ipse antè ita præstiterat, ut tanquam pater filios suos adhortatus fuerit et consolatus, et obtestatus quò versarentur dignè coram Domino.

Hæc quidem, quia officia charitatis sunt, omnium Christianorum sunt : at quia à ministris Dominus requirit ut cunctis se in omnibus quæ pietatis sunt, exempla præbeant populo, id etiam in hoc genere officii stulere debent, ut piam scilicet gerant sollicitudinem omnium quidem, hoc autem magis sui ordinis, minis-

² Ibidem, le mot *id* est supprimé.

trorum et collegarum, quò illos præire magis et præluere cæteris in omni genere virtutum et officiorum necesse est, eamque sollicitudinem, ut studiosè etiam inquirant, si quis infirmetur, si quis aliquid peccarit, aut in periculo peccati versetur, si in officio suo cesset. Quis enim pater non ita inquirat de filiis, quæ nutrix non de alumnis suis? Atqui nullus pater, nulla mater, nulla de natis et infantibus suis, nulla nutrix de alumnis suis ita potest sollicitè inquirere ut res illorum habeant, quid valeant, quid periculi impendeat, ut id fratres, ut membra in Christo decet, etiam quælibet, nedum primaria, uti sunt ecclesiarum pastores. Et quoniam nemo non cerebri, non cordis, non oculorum majorem gerat sollicitudinem quàm musculorum vel digitorum, quibus læsis tamen non ita magno corpus incommodo afficitur, ita quis rectæ fidei non agnoscat ministros ecclesiæ talem sollicitudinem et de se ipsis invicem inquisitionem cumprimis debere, ut quibus cessantibus tantùm in sua functione, nedum contra eam peccantibus totum corpus ecclesiæ, corpus Christi, lædi graviter oporteat?

Nec certè verendum ut hæc mutua inquisitio et cura aliquid incommodet, ubi ea inter veros Christi ministros exercetur. Quis enim vivens in charitate et vera membrorum Christi communicatione tam præclarum germanæ charitatis officium non gratissimo animo exciperet? Quis enim sibi uni sufficiat? quis in suis delictis et morbis non cæcutit? quis non perpetuis monitoribus et excitatoribus indiget? Si morbo aliquo vel calamitate adfligimur et fratres nos solatio inspectionis et admonitionis de remediis, si quid possint, destituant, certè excusationem illam non recipimus: Nesciebam te laborare; ignorabam te ita premi. Eam scilicet, inquam, curam mei geris, sic me amas, tam sollicitè de me et rebus meis inquiris! At quis morbus, quæ infirmitas, quæ calamitas gravior et perniciosior, quàm detineri peccato, quàm cessare in officio nostro, quàm facere contra officium?

Sed secretò et privatim moneri fratres Dominus jubet. Rectè, si quid illi secretò et privatim in te scilicet peccarint. Quid autem si frater nondum quidem peccavit, sed impendeat ei periculum peccati, id quod aliis notum sit, tibi notum non sit, aut non æquè notum? Quid etiam si peccatum jam non tantùm in te,

ut tu unus ejus conscius sis, sed in multos commissum sit, hoc est, etiam aliis consciis, et forsan aliis magis consciis? Atqui vim singularem habet reprehensio quæ fit coram fratribus omnibus et ab omnibus. Nostis exemplum Pauli reprehendentis Petrum, et præceptum jubentis incestum Corinthium increpari ab omnibus. Item præceptum ejus ad Timotheum, reprehendendi eos qui peccarunt, coram omnibus. Latissimè sanè³ patet cura illa pastoralis descripta ab Ezechiele, quærere quod periit, reducere quod aberravit, obligare quod fregit aliquid, confirmare quod infirmum est, pascere quod sanum est. Sed, ut nulla sit causa corrigendi et instaurandi fratres et ad proficiendum eos incitandi, ob quas causas talis in fratres facienda sit inquisitio (quæ tamen causæ in nullo quamlibet sancto collegio unquam defuerint), tamen causæ abundè satis fuerit, cur omitti talis inquisitio non possit, comprobatio sacri ministerii, et progressus cujusquam manifestatio mutuæque charitatis ex hoc officio charitatis corroboratio, quæ omnino ista mutua inquisitione et admonitione perficitur, ubicunque verorum ministrorum Christi cætus coit. Ethnici tamen agnoverunt ejusmodi in amicos inquisitionem et mutuam admonitionem esse germanæ amicitiae proprium ac præcipuum officium.

Quàm indignum igitur sit illud negligi ab iis qui soli veram amicitiam norunt et colunt, a Christianis, indignissimum autem à ducibus et magistris Christianorum! Et ut hi singulariter sese invicem agnoscant, suaque inter se concilia propria habeant, nemo non dubitabit esse in officio hujus ordinis, qui considerarit hoc et prophetas, qui suos peculiare choros habebant, et apostolos atque presbyteros apostolicos tam studiosè observasse, tum maximè Dominum ipsum primum hujus singularis et auctioris⁴ societatis in Levitis exemplum et præceptum dedisse. Cavendum modis omnibus est ut cleri et laicorum ea discretio fiat, ut laicis aliquid subtrahatur doni Christi, ejus queant capaces esse, ut ulla ab actione et judicio ecclesiae, ad quam præstare aliquid possunt, submoveantur, ut fecerunt Antichristi: rursus autem ea etiam caveatur cleri cum plebe confusio, ut per plebis imperitiam affectusque crassiores, exactiora impediantur in clero spiritus sancti consilia et necessariae de rebus

³ Éd. de Brunswick : sanè est omis. ⁴ Ibid. auctioris societatis.

Domini deliberationes et iudicationes. In Actis videmus ut graviores causas apostoli cum senioribus primùm excutiebant antequam ad reliquam ecclesiam eas referrent, et habebant tamen longè instructiorem spiritu plebem quàm nunc habeamus⁵.

Summa nostræ fidei de hac quæstione est : Quicumque fratris vel ipsum peccatum vel periculum etiam peccati occultum cognoverit, is fratrem secretò admoneat et instauret. Interim tamen, quia non satis observare nos ipsos invicem possumus, et nostrum ministerium tam multa requirit, habeantur tempestivi conventus, inquiratur exactè in singulos, indicent⁶ etiam singuli quicquid existiment in fratribus emendandum, adhibeatur correctio ab omnibus, vindicetur etiam innocentium fratrum existimatio, comprobetur ministerium omnium. Quod certè mutua hæc inquisitio et admonitio fratrum egregiè præstabit, siquidem ex charitate vera omnia fiant, quæ arcebit omnem et contumeliam et calumniam, etiam omnem intempestivam fratrum contristationem. Et si quid etiam, ut multa est omnium infirmitas, in his non fiat satis candidè aut non satis prudenter ad ædificationem institutum, hoc emendent fratres cordatiores : opus verò hoc tam sanctum et salutare ecclesiis propterea ne intermittant neve fastidiant. Institutum hoc pervetus est, imò dum ecclesiæ ritè administrabantur perpetuum, in omnibus synodis et visitationibus ecclesiarum religiosè observatum : quare à spiritu sancto profectum dubitare irreligiosum sit, præsertim cum tam clarè pateat quantum ad ædificationem pietatis conferat.

Dici profectò non potest quàm salutare sit fratres in Domino sæpe convenire et agere id quod agere semper debemus, ut instaurent se in pietate, in vita Dei, quod certè sine acri excussione conscientiarum et vitæ cujuslibet fieri non potest. Cogitemus quæ sit et quid valeat communicatio membrorum Christi, quàm etiam simpliciter in conspectu Domini in talibus cœtibus præsentis agere oporteat, quàm nuda et resecta esse omnia nostra conveniat. Dominus det vobis, optatissimi fratres, et in hæc et in rebus omnibus Christi, idem et sentire et loqui, et sentire atque loqui quæ sunt⁷ certæ ædificationis et synceræ charitatis, quæ ita complectitur commembra Christi omnia, ut

⁵ Ibidem : *habemus.* ⁶ *iudicent.* ⁷ *sint.*

cuique tamen suum actum tribuat et conservet. Conjuncta enim esse debent, confusa esse non debent. Orate pro nobis et nostro ministerio. Optamus vos optimè valere. Datum 29 Decembris anno 1544.

D. CASPAR HEDIO.

D. MARTYR Florentinus, professor theologiae.

THEOBALDUS NIGRI, parochus S. Petri sen.

PAULUS FAGIUS, pastor S. Petri junioris.

JOANNES LENGLINUS, pastor S. Wilhelmi.

VALERANDUS POLLANUS, minister Eccl. gallic.

M. BUCERUS.

(*Inscriptio* :) Venerandis et optimis fratribus Christum Neocomi docentibus.

[POST-SCRIPTUM⁸:]

G. et P. Quo die priores ad vos, colendi fratres, dedimus, recitata sunt nobis hæc proposita. Nunc ergo et ad illa accipite sententiam nostram⁹.

USUS ECCLESIAE.

Censura ita peragitur. Censendus egredi jubetur : quo egresso petit decanus à vicinis censendi quid norint in fratre quod palàm offendat ecclesiam, unde impediatur ædificatio ecclesiæ, et pastoris ministerium vilipendatur, tum propter ipsum tum propter suos¹⁰.

Hoc non dubitamus esse proprium officium veræ charitatis et communionis præstantiorum membrorum in corpore Christi. administrantium scilicet religionem Christi et rectè zelantium pro ecclesia, ut ministretur ei ad ædificationem.

Demum generatim ab aliis petitur quid putent dignum cujus frater admoneatur. Ubi omnes suffragium tulerint, evocatur

⁸ Ce *Post-Scriptum* est une pièce séparée, écrite après l'envoi de la lettre précédente (Cf. le renv. de note 9), et il reproduit *les Thèses de Chaponneau*. Chacune de celles-ci est suivie des observations des pasteurs strasbourgeois, qui sont, dans l'original, complétées çà et là par la main de *Bucer*.

Farel a numéroté les susdites Thèses, en copiant le *Post-Scriptum* sur la dernière page de la lettre strasbourgeoise du 29 décembre.

⁹ Ces trois lignes, écrites par *Bucer*, sont omises dans l'édition de Brunswick.

¹⁰ Ce sont les termes mêmes de la circulaire de *Farel* du 28 octobre.

frater, et juxta conclusa per fratres candidè et amicè admonetur ut sanctè officium faciat et ecclesiam ædificet.

Christus Dominus est in medio eorum qui suo nomine conveniunt, quare non dubitamus istam admonitionem nomine omnium, imò Christi, factam magnopere efficacem esse.

Adducta per contradicentem. *1. Correctio fraterna est actus charitatis, sub Dei præcepto cadens, à cujus obligatione neminem eximendum ducimus.*

Verum : sed duces populi Dei debent in præstando hoc officio charitatis cum erga omnes, tum maximè erga se invicem, quos omnium inculpatissimos esse oportet, aliis præire.

2. Præceptum fraternæ correctionis, cum sit affirmativum, non pro quolibet tempore obligat.

Verum : tamen adèò diligenter adhibendum est hoc charitatis officium, ut plærique sint et importunè et opportunè objurgandi.

3. Licebit igitur correctionem, cujus finis est fratris delinquentis emendatio, non solùm differre, sed et nonnunquam prorsus ab ea abstinere.

Hæc consequentia quomodo valeat : non est necesse fratrem quolibet tempore monere, ergo licebit nullo ? Dum frater est et peccat, certè¹¹ monendus est, et quàm primùm id cum spe aliqua emendandi facere licet. Quæ spes etiam magis in Dei jussu, quàm fratris commoditate ponenda est. Quærere quod periit et servare, opus est, quod differre vera charitas non patitur. Finis quoque hujus admonitionis non sola fratris emendatio est, verùm etiam disciplinæ communis conservatio.

4. Juxta Christi præceptum : Si peccaverit in te frater tuus, etc., monitio secreta publicam debet præcedere denunciationem.

Verum in occultis. Talis tamen sancti et arctioris coetus, cujus esse debet una anima, nedum unum cor, admonitio à verè pio fratre non potest aliter quàm ab ipso Christo profecta excipi, gratior tantò qualibet privata.

5. Quisquis christiana charitate afficitur erga fratrem, vel notorio peccato laborantem, sanctè fecerit, si eum primò clàm monuerit. Deinde non audientem, præsentem uno atque altero teste juxta ordinem a Christo præscriptum, iterum admonuerit, ac tandem iteratis monitionibus non cedentem ecclesiæ denunciaverit.

¹¹ Édition de Brunswick : *recte* monendus est.

Hic cogitetur quid dicat spiritus sanctus : peccantes coram omnibus reprehende. Tamen charitas et privatim conabitur fratrum manifesta vulnera sanare. Talem tamen et tam propriam primariis membris in Christi corpore admonitionem, quæ per eleri cœtum fieri debet, nisi planè correctum sit quod peccatum fuit, ac ecclesiæ quoque¹² de eo satisfactum, nemo verè diligens Christum, ecclesiam, fratrem, non pia sua delatione adhibendam curabit.

6. *Non est quævis ecclesia apud quam facienda est denunciatio, sed ea cujus membrum est qui sic contumax perseverat.*

At cujus ecclesiæ veræ¹³ Christianus membrum non est? Collegium ministrorum ecclesiæ utique ecclesia est. Partes ecclesiæ homogeneæ sunt. Collega collegii¹⁴ membrum est. Et quis neget ad eos commodissimè delationem fieri qui præ aliis judicare valent?

Fratri qui has propositiones posuit optamus rerum intellectum pleniorum et zelum ardentem communionis spiritus sancti et membrorum in corpore Christi : deinde dignam existimationem sacri ministerii et rectum studium, ut illud irreprehensibile et fructuosum ecclesiis præstetur : postremò agnoscere quàm necessarium et salutare sit, in nos fratres quovis modo inquirere et animadvertere, nos corrigere, instruere, quibus remediis iis ferè semper maximè opus est qui ea minùs expectant. Dominus ipse vos doceat et apud vos conservet religionem communionis suæ et mutæ ædificationis. Amen.

M. BUCERUS, nomine fratrum Argent.
in prioribus subscriptorum¹⁵.

¹² Ibid. Les deux mots suivants sont omis.

¹³ Ibid. *vere* Christianus.

¹⁴ Ibid. : *collegis*. ¹⁵ Ibid. : *subscriptis*.